

Ad. 107.



PAGANINI GAUDENTII

Theol. & I. C.

LIBER

*De*

IVSTINIANAEE  
SECVLI MORI-  
BVS NONNVLLIS.

Cum eiusdem Dissertatione

*de*

SVCCESIONE FOEMI-  
NARVM.

*Iuxta Editionem Florentinam.*



ARGENTORATI,

Typis & Sumptibus FRIDERICI SPOOR.

M DC LIV.

KOEN. FRIED.  
UNIVERS.  
ZU HALLE



V I R O

NOB. & CLARISS.

IOACHIMO POM-  
PIO I. V. C.

S. P.

**Q**uod rei herbariæ stu-  
diosis in more posi-  
tum est, vt quas ab alio  
orbe, vel rarioris facul-  
tatis, plantas nacti, eas suis in hor-  
tis cum cura colant, atque aliis in-  
de copiam faciant: id ego non ita  
pridem imitandum sumpsi. Cum  
enim mihi viri excellentissimi au-  
ctores fierent, vt Gaudentii librum  
*de Iustinianei seculi moribus*, ex-  
):( 3 cuden-

## DEDICATIO.

erudendum susciperem, facile me  
vt assentirem adduci passus sum.  
Neque enim quod alienam edi-  
tionem inuadere indignum ali-  
cui videri posset, nostratium desi-  
deria frustranda erant, quibus sæ-  
pe dolere vidimus, quod libri ab  
Italorum genio producti, vel raro  
in bibliopoliis nostris reperiren-  
tur, vel non eo numero, qui cupi-  
dorum multitudini sufficeret. Cæ-  
terum quam iuuante Deo modo  
perfectam editionem habeo, Tuo  
V. N. & C. nomini inscriptum eo:  
neque vt Tibi id adprobem, eme-  
ditatis rationibus laborandum pu-  
to: cum quicquid elegantiarum  
reperire est, ad te, arbitrum earum  
doctissimum, destinari debeat: Et  
Autor hic inter illa doctrinæ mo-  
numenta, quibus conquirendis  
Te

DEDICATIO.

Te inprimis sollicitum videmus,  
locum peculiari iure tenere me-  
reatur. Quid quod redhostien-  
dæ beneuolentiæ, qua me iam diu  
complexus es, occasio è manibus  
dimittēda non erat. Vt autem me  
in ære tuo plurimum esse sentio,  
ita hoc modo me inde expeditum  
velle, nolim credas. Erit hoc so-  
lum animi non omnino ingrati ar-  
gumentum, & ampliorem à for-  
tuna non desperabo benignita-  
tem, quam semel a deo opportu-  
nam expertus sum. Sane vt illa vo-  
to meo minus responsura sit, ani-  
mum mihi auferre non poterit,  
quo L. M. Q. profitebor, esse me.

V.N.&C.

*Tibi obstrictissimum.*

FRIDERICVM SPOOR.



Præfatio Autoris  
ad Lectorem.

**E**Vm, qui velit feliciter versari  
in contemplatione rerum, & exacta ve-  
ritatis cognitione, oportere temporum seriem  
non negligere, semper existimaui. Danda nem-  
pe illi opera est, ut quid antiquissimis primisq;  
temporibus arriserit Sapientibus, exploret:  
quid deinceps secute ætates amplexæ fuerint,  
non ignoret. Quæ vicissitudo, mutatioq; in-  
tercesserit, nosse sat agat, quæ tandem ratione  
nouissima tempora in aliam sententiam deuo-  
luta fuerint, aut priscum morem sartum te-  
ctum voluerint esse, expiscetur. Hoc sic de quo-  
cumq; disciplinarum mystæ verè pronunciat,ur,  
ut ad legum Romanarum, totiusq; Iuris Inter-  
pretes præcipuè transferri debeat. in nodos  
profectò vix extricabiles se induunt, qui va-  
rias ætatum vices auersati, media tempora  
cum primis commiscent, recentia cum vetustis-  
simis colligant fasceatim. infelices studiorum,  
quis id hominum genus non vocet? densis ne-  
bulis



AD LECTOREM.

bulis inuolui necesse est omnes, qui, qua ratione  
ne leges se inuicem exceperint, unaq; aliam dis-  
pulerit, dispunxeritq;, nec querunt ipsi, nec, ut  
querant alii, optant. querelas eruditorum iu-  
uenum in hac Academia audiui non semel.  
hinc arripui ansam aliquid in idem argumen-  
tum conferendi. specimen hoc primum esto, de  
Iustinianei seculi nonnullis moribus libellus,  
quem cum iis, qui recentiora sic norunt, ut ve-  
tera non spernant, communico. utinam auspi-  
cato, ut tua, lector, impellente beneuolen-  
tia, alia non absimilis saporis,  
prosequar. Vale.

## *Typographus Lectori.*

**L**ibrum hunc, quem V. C. Samuel Hon-  
dius suis & amicorum priuatis studiis, in  
Italico itinere comparauerat, Academiae  
nostrae lumen Dn. D. Tabor publico Germa-  
niae vsui iussit commodari. Si quid igitur  
ad te, Beneuole Lector, utilitatis inde redun-  
daturum est, iis acceptum ferri debet: Nos  
autem proxime alia, ab eiusdem Gaudentii  
ingenio profecta, tecum communicaturi  
sumus. Vale.



DE  
IVSTINIANAEI SE-  
CVLI MORIBVS  
NONNVLLIS.

CAPVT I.

*Eorum, quæ leguntur in Pandectis, &  
Codice vsum viguisse tempore  
Iustiniani.*

**P**RINCIPIO id obseruari  
debet, dum de moribus Iusti-  
nianeæ seculi dissertatio insti-  
tuitur, in Pandectas scilicet,  
atque in Codicem non fuisse relata ea, quæ  
antiquata nullum amplius habebant vsum  
in iudiciis, inque communi hominum vi-  
ta. id à nobis pronounciari veritate præeun- C. de Ver.  
te satis superque ostendunt verba Impera- sur. Enuch.  
toris, dum inquit: *sed si quæ leges in veteribus* l. l. §. 10.  
*libris positæ iam per desuetudinem abierunt:*  
*nullo modo vobis eas ponere permittimus:*  
*cum hæc tantummodo obtinere velimus, quæ*  
*vel iudiciorum frequentissimus ordo exercuit,*  
*vel longa consuetudo huius almae vrbis com-*  
*probauit. quæ verba velim semper obserua-*  
*ri oculis eius, qui opusculum hoc legit. Et si*  
A enim

2 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
enim Christianæ Religionis expertes fue-  
rint Iurisconsulti, ex quorum volumini-  
bus conflati sunt Pandectæ, ea tamen tan-  
tum excerpfit Tribonianus, quæ facere vi-  
debantur ad seculum Iustiniani catholica  
pietate fulgens. Idem de Constitutionibus  
Cæsarum, qui vixerunt ante Constanti-  
num, in Codicem relatis sentiendum est,  
addiderim autem in nonnullis immutata  
fuisse à Triboniano dicta antiquorum Iu-  
risconsultorum, & aliquid quandoque aut  
additum, aut detractum Constitutionibus  
Imperatorum, qui regnaverunt ante Con-  
stantiniana tempora, ne vlla in re disside-  
rent à seculi Iustiniani ea, quæ iam legun-  
tur in Pandectis, & Codice. exemplis o-  
pus hic non est, legantur potius verba Im-  
peratoris.

*l. 1. C. de  
vet. Iur. E-  
nucl. §. 7.*

## CAPVT II.

*Quod supervacaneas Leges non  
collegerit Tribonianus.*

**P**ARUM sollicitus videtur fuisse Tribon-  
ianus, quo promissa caderent, dum  
pollicitus est, se supervacaneas leges, &  
quarum suo tempore nullus esset vsus, o-  
missurum. Quid attinuit eam proferre,  
qua Constantinus omninò sustulit gladia-  
tores C. de glad. pen. toll. l. vn? Si enim sub  
Constantino penitus sublatis sunt, cur repe-  
tita est lex? Nullus etiam videtur fuisse lo-  
cus

cus Iustinianæ ætate l. 3. §. 1. C. de sum. Trinit. qua igni traduntur omnia scripta Porphyrii, iussum hoc fuit Theodosii, quo freti Magistratus videntur tunc statim conquisiuisse, atque exussisse Porphyrianum opus. His sic occurro, vt dicam, inueteratum morem committendi gladiatores in arena, non videri penitus sublatum, etsi Constantinus eam in rem legem tulerit. nam discere est l. 2. C. Theod. de glad. toll. tempore Constantii gladiatorium munus solitum impendi, in qua lege etiam fit mentio eorum, qui militiae destinati ad munerarium adibant. ne igitur vsquam vltus esse locus gladiatoribus, superuacaneum non fuit, legem Constantini inferere Codici. De lege vero, quæ iubebat comburi Porphyrii impia scripta, dixerim non ita facile potuisse conquiri librum, qui longè lateque per vrbes fuerat dilatus. addiderim, ea lege comprehendi aliorum, qui Religionem Christianam oppugnarunt, dictata. scripserat Celsus, Herocles, Iulianus. quis credat tempore Iustiniani exemplaria nulla eorum librorum in manibus hominum versata? ne ergo legem, quæ iubet ea comburi, superuacaneis accense.

## CAP. III.

*Cur non intercessum fuerit ab Episcopis, cum Codex componeretur?*

**Q**UOD nonnulla legunt in Codice, inque

A 2

Pan-

Pandectis, quæ multiplici nos inuoluunt difficultati, non dubitant affirmare, Imperatores Christianos passos se abripi à more populi, neque magnopere fuisse sollicitos, quid acuti interpretes rerum sacrarum dicerent. cui sententiæ ego nolim obstrepere, cum existimem multum tribuendum esse sapientum virorum auctoritati. Ferent tamen me interrogantem, cur Cæsares Deo acceptissimi veritatisque christianæ studiosissimi ad consilium non vocauerint Antistites, vt euoluerent leges, Pandectas, Codicem, libereque dicerent; quibus in rebus aliquid desideraretur, ne Catholicæ pietati iurisprudencia aduersa fronte occurreret? quod si Præsules vocati non fuerunt, cur tamen siluerunt, cur passi sunt ire in leges, quæ Religionem, religiososq; mores oppugnare videbantur, cum nos non sit clam aliàs Episcopos capitis discrimine neglecto suscepisse defensionem rerum sacrarum aduersus ipsam maiestatem Cæsarium? an meticulosi fuerunt, & trepidauerunt, cum monendi essent Constantinus, Honorius, Arcadius, Iustinianus? dispiciant Antecessores Iuris, vbi figendus sit pes.

## CAPUT IV.

*Imperatores Christianos multa sanciuisse de Religione, deq; Religionis antistitibus.*

**I**nspice sis acta antiquorum Conciliorum

rum Oecumenicorum. non semel reperies iussu Cæsaris convenisse Patres de Fide capita collaturos. In Codice plurima sanciantur ab Imperatoribus de fide, de summa Trinitate, de Episcopis, & Clericis, de audientia Episcopali. molestiam facessunt nobis hæc omnia, dum ius Canonicum cogitamus. inanes & irritas illas leges esse pronunciemus necesse est, si Imperatoribus in religionem, in religionis antistites nulla potestas. Cur optimi Principes transilierunt lineas, intra limites se non continuerunt? Saltem ab Episcopis ad saniora consilia reuocati fuissent. Interim sic vixerunt, hæc iura condiderunt. Tantum verò abest, vt Iustinianum pœnituerit facti, vt in authenticis multo plura subdiderit. Nec vnus Cæsaris ingeritur exemplum. cuncti longo ordine à Constantino vsque ad Iustinianum de rebus Sacris iuracuderunt. Quis non excutiat frontem de sapientia? Quis modestiam non desideret? Sursum deorsum omnia si veritas, fatearis necesse est sic voluisse, sic iussisse Principes, & instar cuiusvis rationis fuisse eorum voluntatem. Labentia secula in alios mores nos traduxere, vt iam excussa quavis ambiguitate liceat affirmare Summi Pontificis, Summæ Hierarchæ partes esse religioni suppetias ferre iubendo, interpretando. penes Reges & Principes parendi

6 DE IUSTINIANÆI SECULI  
maneat laus, vt quando res postulat repri-  
mant & armis compescant Numinis con-  
temptores.

CAPUT V.

*De Imperatoribus Christianis sibi tri-  
buentibus nomen diuinitatis &  
perennitatis.*

**A**Bsque modo videntur de se loqui  
Imperatores, dum perennitatem sibi  
tribuunt. C. de audien. Episc. l. 3. *nemo af-  
fatus nostræ perennitatis expectet.* tenui fi-  
lo pendet quicquid humanum est, summa-  
que celeritate præterlabitur hæc vita, &  
audet Imperator Christianus *perennitatem*  
sibi vindicare? l. cunctos populos. de sum.  
Trinit. §. hanc legem, Cæsar suum arbitri-  
um *cœleste* appellat. l. 3. eod. §. 3. vocat suum  
præceptum *diuinum.* & §. 4. meminit suæ  
*diuinitatis.* plura cur traham in cumulum?  
An laudandus mos Iustinianæus? hæserim.  
*perennitatem* excuses, si cogites æternam  
frequenter appellatam Romam. hinc per-  
ennitas tributa Cæsaribus, quibus Roma  
suberat. Diui non dicebantur Cæsares,  
nisi post mortem. cur Cæsares Christiani  
adhuc superstites diuinitate volunt videri  
esse præditi? supra omne fastigium collo-  
cata Maiestas, & Deo proxima, de cuius  
iussis non licebat disputare, cœlesti arbi-  
trio dicta est fulgere. longè lateque per or-  
bem



bem vnius Domini, vnius Principis audiebatur nomen. non ipsi Principes sic amarunt sibi palpum obtrudere. Qui constitutiones exarabant nomine Cæsarum, blanditi sunt auribus eorum, à quibus magna expectabant beneficia, amplissimasq; dignitates. Si verum fateri volumus, fatius fuisset superba nomina omittere, quæ neque apud ipsos Imperatores expertes religionis Christianæ inuenire est. nam omnes boni sunt detestati Domitianum, qui Dominus Deusque appellari voluit.

## CAPUT VI.

*De more iurandi per Genium Principis.*

D. de iureiurando l. si duo patroni §. si quis, relata sunt verba Vlpiani narrantis, qua pœna plectatur is, qui per geniũ Principis peierauerit. l. 2. C. de reb. Cred. agitur de peierante per *venerationem Principis*. ex his collegerimus, moris fuisse tempore Iustiniani Imperatoris, vt iuraretur per geniũ, perque *venerationem Principis*. nam cæteroqui Tribonianus non protulisset verba Vlpiani, & in Codice omisisset constitutionem Alexandri Imperatoris. id tamen repugnat Christianæ religioni, cum non liceat nobis iurare nisi per Numen, si quando iurandum est, quod raro debet fi-

§ DE IUSTINIANÆI SECVLI  
eri, & non nisi graui de causa. Num ap-  
probatur iuramenti formula, quia recen-  
setur? vix affirmauerim. Coguntur etiam  
sapientissimi aliquid tribuere inueterato  
mori, qui vix aboleri potest. disce verò ex  
hoc iureiurando, mortales solere iurare per  
res carissimas, & veneratione dignas. Nec  
enim ideò semper iurant, quod existiment  
eum, per quem iuratur, conscium esse ve-  
ritatis. Ergò moris erat iurare per genium  
Principis, quod post Deum nihil cum ma-  
iestate Cæsarea conferri posset, quodque  
putarent illius tempestatis homines proxi-  
mè ad Numen accedere Imperatorem.

CAPUT VII.

*De præfecto Vrbi Constantino-  
poli.*

Quæcunque leguntur in pandectis de  
officio Præfecti vrbis, ea fuerant pro-  
lata à Iurisconsultis de Præfecto Vrbi Ro-  
mæ. Ante enim Constantini tempora vna  
erat Roma, vnusque eius Præfectus. at  
postquam Constantinus auxit Byzantium,  
alterius Romæ alter creatus est Præfectus.  
hinc quæcunque prolata fuerant olim de  
Præfecto Vrbi Romæ, translata sunt à  
Triboniano ad Præfectum Vrbi, nouæ  
Romæ, quæ à Constantino nomen ac-  
cepit. dum igitur inquit Vlpianus l. i. §. 4.  
ff. de

ff. de offic. Præf. Urb. si quid intra centesimum lapidem admissum sit, ad Præfectum Urbis pertinere, id sic accipiendum de Præfecto Urbis, qui erat in Italia, ut extendatur ad Præfectum nouæ Romæ. dices fortè, repugnare Epistolam Diui Seueri, cuius meminit Vlpianus ff. eod. l. omnia. nam meminit Italiæ, quod non conuenit Præfecto nouæ Romæ. Respondere est, Vlpianum Italiæ meminisse, quia sermo illi est de Præfecto Romæ, quæ tunc vna tantum erat, caput Italiæ, atque Imperii. dum verò loquimur de Præfecto nouæ Romæ omissa Italia id explicamus, quatenus Præfectus cognoscit de criminibus, quæ committuntur extra Urbem intra centesimum lapidem. Italia enim, cum de Constanti-nopoli sermo nobis est, nihil ad rhombum facit. Sic intelligimus, quam latè pateret tempore Iustiniani iurisdictio Præfecti Constantinopolis.

## CAPUT IIX.

*Patriarchæ Constantinopolitano  
quam auctoritatem contulerit mos  
Iustinianei seculi.*

**I**Nficias ire non possumus auctoritate Cæsarum Christianorum in id fastigium dignitatis euectum fuisse Patriarcham Constantinopolitanum, ut anteueniret Antiochenum, & Alexandrinum. inspiciantur

A S acta

acta Conciliorum Oecumenicorum, in quibus, dum subscribunt Episcopi, ante Antiochenum, Alexandrinumque exarat nomen suum Constantinopolitanus; quãuis iam nos Concilia non recenseamus. Morem potius Iustinianæi seculi in verbis Imperatorum quærimus. ipsi nouam Romam veteris prærogatiua decorarunt, vt ostenderent quoque Constantinopolitanum Archiepiscopum Antiocheno, Alexandrinoque præferri. in Codice Iustinianæo refertur Honorii l. 6. de Sacros. Eccl. *vbi si quid dubietatis emerferit per prouincias Illyrici, reseruatur iudicio Patriarchæ Constantinopolitani, cum vrbs Constantinopolitana veteris Romæ prærogatiua lateatur.* vides prærogatiuam Romæ nouæ ad negotia quoque Ecclesiastica trahi. Cur enim iubet Imperator prouocari ex Illyrico Constantinopolim ad iudicium Patriarchæ? quia moris est appellari ex Prouinciis ad iudicium Pontificis veteris Romæ. ipse Iustinianus l. 6. C. de sum. Trinit. Epiphaniam, Archiepiscopum nouæ Romæ appellat *Oecumenicum Patriarcham.* hoc quod sciam à Cæsaribus non legimus tributum Antiocheno, aut Alexandrino. Nequaquam autem mirari nos par est Patriarchas Constantinopolitanos Oecumenicos se vocasse, & sic vocari voluisse ab aliis, quandoquidem id nomen ab ipso Cæsare

iuri

iuri fuerat insertum. Sanctus tamen Gregorius Patriarcham Iohannem ea de causa valde reprehendit. Ita mos Iustinianeus censoria virgula est exceptus à Sanctissimo Viro. An verò exæquata Romæ Constanti-  
nopoly, quod sedes esset Imperatoris, exæ-  
quata quoque est Patriarchæ Constantino-  
politani authoritas potestati Pontificis Ro-  
mani? ambabus manibus sunt, qui ample-  
stantur affirmantem sententiam. At repu-  
gnat ipse Iustinianus, dum l. 7. C. de Summ.  
Trinitat. ait, *Beatitudinem Papæ senioris*  
*Romæ esse caput omnium piissimorum Dei*  
*Sacerdotum.* & in celebri nou. 131. cap. 2.  
sancit, secundum quatuor Synodorum de-  
finitiones Sanctissimum senioris Romæ  
Papam, primum esse omnium Sacerdotū,  
Archiepiscopum verò Constantinopoleos  
nouæ Romæ secundum habere locum,  
post Sedem Apostolicam, aliis autem o-  
mnibus Sedibus iubet præponi, hinc cen-  
tenariam præscriptionem contulit Roma-  
næ Ecclesiæ, quia sortita est *apicem Summi*  
*Pontificatus.* atque hæc ex more Iustinianæ  
seculi protulimus. nam ad sacras litteras  
si adeatur, nihil de sede nouæ Romæ repe-  
rimus, veterem verò Romam omnibus Ec-  
clesiis esse prælatam scimus, Matth. 16. &  
Iohan. 21.

Novel. 9.

*Num Episcopi tempore Iustiniani haberent iurisdictionem?*

**N**on idem omnes dicunt, cum quaerimus an Episcopi tempore Iustiniani haberent iurisdictionem? negat Cuiacius in paratitlis in Codicem de audientia Episcopali. non enim forum legibus habebant, quod discere est ex nouell. Valent. de Episc. iud. carebant apparitione, executione. ipsorum verò vt iudicum delegatorum, qui notionem non iurisdictionem habebant, sententias Magistratus exequabatur. l. 8. de aud. Episc. & cur de audientia Episcopali scriptus est titulus, nisi vt significaret Imperator habere Episcopos audientiam, non iurisdictionem? contrarium tamen visum est Accursio, qui audientiam interpretatus est iurisdictionem. addunt alii potuisse Episcopos coercere eos qui nollent parere, hoc iurisdictionem sapit. Certè ipsi interdicare sacris queunt, quod instar grauis poenae est. hæc coercitio appellari meretur. Sed erunt, qui respondebunt eiusmodi poenam iure ciuili esse ignotam, & iurisdictionem non posse tribui ei, qui Magistratus non sit, vt non omittant habuisse episcopos cognitionem & iudicium in Clericos, & Monachos in causa Religionis, & negotio Ecclesiastico.

de

de Clerico enim homicida iudicasse Præfectum Urbis, aut Præsidem. in alios verò, Laicos puta, non habuisse cognitionem Episcopos, nisi consensissent, vt videmur discere ex titulo Cod. de audientia Episcopali. sed quicquid dici queat de seculo Iustiniano, posteriora tempora iurisdictionem, executionem, coercionem Episcopis tribuerunt, qua hodieque passim in Ecclesia Catholica gaudent. Quid verò vetat conferre nostra cum antiquis temporibus? in tenebris hæere cogitur, qui seriem labentium ætatum negligit.

## CAPUT X.

*Quatenus mos Iustinianæi seculi exæquaret Episcopos Præfectis Prætorio.*

Sunt qui simpliciter pronunciant more seculi Iustinæi exæquatos esse Episcopos Præfectis Prætorio, ex l. 8. C. de Episcop. aud. vbi Honorius iubet eam Episcoporum iudicationi esse adhibendam reuerentiam, quæ defertur potestatibus Præfectorum Prætorio, à quibus non licet provocare. sed vltèrius non est extendendum Cæsareum iussum, quam ferant ipsa verba: l. 7. C. eod. qui ex consensu apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint, non vetantur, in ciuili dumtaxat negotio, dum more arbitri sponte residet. l. 8. Episcopale iudicium

14 De IUSTINIANAEI SÆCULI  
cium estratum iis, qui se audiri à Sacerdo-  
tibus elegerint. cum verò à iudice dato ex  
consensu vtriusque partis sine vinculo  
compromissi liceat appellare l. ex consensu  
ff. de appell. Imperator tamen ad reueren-  
tiam Episcoporum sancit ne appelletur ab  
eorum sententia, quemadmodum à sen-  
tentia Præfectorum Prætorio non prouo-  
catur. vides limites, intra quos ipsæ leges  
compellunt comparationem Episcopo-  
rum cum Præfectis Prætorio. nam alioqui  
quam absurdum foret exæquare Episco-  
pos Præfectis Prætorio. Vniuersus enim  
Orbis Romanus à quatuor Præfectis Præ-  
torio cœpit regi iussu Constantini, vt tra-  
dit Zosimus. illis suberant Præsides, Con-  
sulares, aliique Prouinciarum Rectores. ab  
his ad illos dabatur prouocatio, etiam no-  
lentibus imperabant, suamque sententiam  
exequebantur. Episcopi verò iudicabant,  
si ex consensu placuisset aliquibus litigare.  
vbi velim obseruari ab Honorio non pa-  
rum detractum fuisse legi Constantinianæ,  
quæ lata fuerat de Episcopali iudicio, quæ-  
que extat in C. Th. nam Constantinus san-  
cit, vt si quis eligat iudicium Episcopi, illi-  
co sine aliqua dubitatione, *etiamsi alia  
pars refragatur*, ad Episcopum sermo liti-  
gantium dirigatur. Honorius verò non  
vetat litigare eos, qui ex consensu experiri  
voluerint apud Antistitem.

*lib. 2. Hi-  
stor.*

*lib. 16. sub  
fin.*

CA-



## CAPUT XI.

*De more confugiendi ad Ecclesiam.*

**D**E his qui confugiunt ad Tempia nulla rubrica reperitur in Pandectis, cum tamen in Codice extet titulus, de his qui confugiunt ad Ecclesiam. Causa in promptu est, cur nihil Tribonianus in eam rem contulerit ex libris Ulpiani, ceterorumque. Non licebat scilicet cuiquam antequam Imperatores Christiani leges ferrent de iis, qui confugiunt ad Ecclesias, tutelam & securitatem quaerere in Templis. Mos enim Urbis Romæ asyla ignoravit, si asylum Romuli, atque aliud à Triumviris conditum excipias. quæ tamen duo post tempora Augusti sublata fuerunt. Cur igitur miramur veteres prudentes de asylis deque more confugiendi ad Tempia nihil prodidisse? nam nec Codex ullam exhibet Constitutionem eorum Imperatorum, qui Christiani non fuerunt, de fugientibus ad Tempia. Christiani porrò Imperatores, quorum constitutiones extant, rogati ab Episcopis largiti sunt immunitatem eiusmodi Ecclesiis. id discere est ex Codice Canonum Ecclesiæ Africanæ, ut à me quoque annotatum est in Opusculo, quod conscripsi de asylis, & de more confugiendi ad Ecclesiam.

*C. de his  
qui ad Ec-  
cles. confu-*

## CAPUT XII.

*Num lex Papia à Constantino omninò  
sublata fuerit?*

**D**VM quis legit prolixam illam legem vnicam Iustiniani C. de caducis tollendis, suspicabitur fortè legem Constantini, qua infirmauit pœnas cœlibatus orbitatis, quæque extat C. de infirmandis pœnis non omninò obseruatam fuisse. nam si tollantur prorsus pœnæ cœlibatus & orbitatis, nullus superest locus Caducis, quæ proficiscebantur à lege Papia poppæa. Cur etiam diu post Constantinum Honorius, & Arcadius tulerunt legem de iure liberorum C. eod. l. i. si cessarunt omnes pœnæ orbitatis iussu Constantini? certè ex verbis Imperatorum videmur posse colligere, etiam post Constantini tempora solitos petere ius trium liberorum, qui eis carebant. sic enim loquuntur: *Nemo posthac à nobis ius liberorum petat, quod simul hac lege omnibus concedimus.* difficilè profectò fuit statim antiquare legem Papiam, quæ videbatur esse fundamentum Reipublicæ, quæque longè lateque patebat, plurimaque capita complectebatur. Cum igitur superessent quædam quasi reliquæ Papiarum legum, eas funditus euertere voluit Iustinianus lege lata de caducis tollendis, vt deinceps nemo Papiæ mentionem faceret.

CA-

## CAPUT XIII.

*An tempore Iustiniani, qui capiebantur in bello, serui fierent?*

Imperatores solere captos in bello vendere, ac seruare, seruosque efficere legimus instit. de iur. person. §. serui autem. Cum verò Iustinianus gesserit bellum aduersus Persas, qui christiani non erant, & contra alios, ambigere non possumus captos tunc mancipia effectos. At depulsi sunt ipsius auspiciis Africa Vandali, Italia Gothi, qui christiani cum essent, licet Ariana labe infecti, quærere est, num si qui caperentur, serui fierent iure belli? poterant occidi, & occidebantur, cur non potuerunt mancipia fieri? At par non est christianum si capiatur in bello, à christiano seruituti mancipari. quod more omnium christianorum receptum scimus. Cum verò prima fere fuerint bella, quæ christiani contra christianos gesserunt, quando Imperator oppugnauit Gothos, Vandalosque, subit ambigere, an tunc ea lenitate cœperint tractari arma, vt capti soluto pretio dimitterentur, non verò serui fierent? partem historiarum, quas scripsit Procopius, mihi lectam nuper fateor, in qua nullum seruorum vestigium apparuit. Integrum autem opus præsto non est, vt propterea de tota quæstione non possim cum securitate, exq;

B animi

animi sententia pronunciare. Lubentius tamen dixerim, factos tunc non fuisse seruos, nisi quis diserta verba historici aduersus effatum meum protulerit. nam si prostant manus illicò darem.

## CAPUT XIV.

*Tempore Iustiniani non potuisse iniri  
Nuptias à filio absque consensu  
Patris.*

**M**ORE Romano, moreque seculi Iustinianæi necesse fuisse, vt consentiret pater, quando filius, quem in potestate habebat, erat ducturus vxorem, nemo est sanæ mentis qui dubitet, dum repetit l. 2. ff. de rit. nupt. & 18. & 35. eod. in princ. Instit. l. Filiusf. emanc. 25. hinc pronunciarunt Iurisconsulti liberos ex matrimonio inuito sine consensu parentis procreatos fuisse illegitimos, & iniustos ff. de statu hom. l. Paulus. sufficiebat autem patrem cognitis nuptiis filiis, non contradicere, vt veræ iustæq; forent C. de nupt l. 5. in locanda quoque filia parentis requirebatur consensus C. eod. l. 2. cui concinere dixeris quod legitur 30. q. 5. c. 1. vbi Euaristus Papa definit, coniugium legitimum non esse, nisi ab his qui super fœminam dominationem habere videntur, vxor petatur, & à parentibus sponse-  
tur. Quicquid verò tempora Iustinianæa vsu munierint, res tandem eò deducta est,  
vt

vt falsò affirmare dicantur, quicumque docent, *Matrimonia à filijs familias sine consensu parentum contracta irrita esse, parentes ea rata, vel irrita facere posse.* in hæc enim verba iuit consellus Patrum Tridentino-

rum. An & Orientales discessere à Iustinianæo more? diutius viguere iura Romana apud Græcos, quod Imperatores vsque ad Mahumetis Secundi bella imperarint, vt vbiunque parebatur eorum iussis, non aliter mores hominum, iudiciaque, quam secundum ius Iustinianæum instituerentur, exceptis paucis, quæ Cæsares post ipsum emendarunt.

*Sess. 24. de  
refor. ma-  
trim. cap. 1*

Quandoquidem ergo de consensu patris in nuptiis filii agitur, cognoscere est, quod tradit Græcus Harmenopulus in promptuario Iuris. *Non consistere nempe nuptias, nisi consentiant quorum in potestate sunt. Contractas verò absque consensu patrum nuptias inualidas esse.* hæc cum Græcis Harmenopulus. Ne cui autem negotium facebant Euaristi verba, sic fuerint accipienda, vt tantum conjugia, quæ clam inibantur, iis damnentur.

*lib. 4. tit. 4.*

## CAPUT XV.

*Christianos spreuisse operosum apparatus ritus nuptialis Romanorum.*

**O**peroso apparatu apud Romanos celebrabantur nuptiæ, vt propterea Modestinus librum de Nuptiis, de ritu nuptia-

20 DE IUSTINIANAEI SECVLI  
rum inscripserit. Inde rubricam in Pan-  
dectis petiuit Tribonianus. nam cum sub  
illo titulo esset prolaturus dicta Iuriscon-  
sultorum, qui floruerant, quando nuptiæ  
multis cæremoniis peragebantur, putauit  
sibi faciendum, vt iis præmitteret inscri-  
ptionem de ritu nuptiarum. Non autem  
fert nostri instituti ratio, vt hic enarremus,  
qua ratione in domum viri dediceretur  
sponsa, videri enim possunt Scriptores, qui  
nobis nuptialem morem descripserunt, Ti-  
raquellus, Sigonius, Brissonus, quique ex  
ipsis sua compilauit Rosinus. Cum vero  
sublata superstitione Romanorum, Reli-  
gio christiana inualuisset sub christianis  
Imperatoribus, omissis tot ritibus cœpe-  
runt simpliciter peragi nuptiæ. hinc puto  
factum, vt in Codice titulus non de ritu  
nuptiarum, sed tantum de nuptiis fuerit  
conceptus, cum forent recensendæ consti-  
tutiones Imperatorum, etiam eorum, qui  
discesserant à ritu colendi plures Deos.  
Longe autem pauciora obseruata fuisse in  
nuptiis à Christianis nemo non videt, etsi  
morem quoque Iustinianei seculi contem-  
plemur. Paranymphorum meminit Leo  
Papa. 30. q. 5. can. Qualis. de arrhis, deque  
annulo fidei, quo sponsus sibi sponsam de-  
spondet, loquitur Nicolaus ead. c. nostra-  
tes. in Concilio Carthaginensi 4. c. 13. vt est  
videre ead. c. 5. definiunt Patres : *Sponsum*  
*& Spon-*

*lib. 5. anti-  
quit. c. 37.*

& Sponsam offerri Sacerdotibus à parentibus,  
 & accepta benedictione eadem nocte pro re-  
 uerentia benedictionis in virginitate perma-  
 nere. velari solitas fœminas, cum nube-  
 bant, tradit Isidorus ead. c. fœminæ. vides  
 simplicitatem nuptiarum Christianarum;  
 vt meritò Pandectæ præferant titulum de  
 ritu nuptiarum, Codex nuptias tantum in-  
 scribat.

## CAPUT XVI.

*An tempore Iustiniani intelligerentur  
 peragi Nuptiæ sponsa ingrediente  
 ades mariti?*

**M**ORE Romano non prius intelligeban-  
 tur esse nuptiæ, quam sponsa deduce-  
 retur in domum mariti. in ingressu namq;  
 ædium peragebatur ritus nuptialis, sine  
 quo nuptiæ non fuissent nuptiæ. qua de re  
 iustam dissertationem conscripsi in iis, quæ  
 de Iurisprudencia Romana exarata domi  
 habeo. An verò postquam ritus antiquus  
 Romanorum, qui christiani non erant,  
 sublatus est è medio, & alia obtinuerunt  
 pro ratione Religionis nostræ, id require-  
 retur, ambigere licet. Clam nos non est,  
 Sacerdotem solitum fausta præcari, dum  
 conueniebant sponsus & sponsa. videnda  
 quæ traduntur 30. q. 5. quod obseruatum  
 in Oriente quoque, vt est apud Harmeno-  
 pulum lib. 4. tit. 4. de sponsæ autem dedu-

ctione hæc profert ibidem ex sententia, vt  
 puto Imperatoris: *potest vir absens contra-  
 here matrimonium muliere in eius domum  
 deducta. at si mulier absit fieri hoc non potest.*  
*Deductione enim in domum mariti quasi in  
 domicilium matrimonii opus est.* suspicari li-  
 cet, Sacerdotem non in Templo, sed in in-  
 gressu ædium operam suam præstitisse,  
 nam si in Ecclesia expressus fuisset consen-  
 sus, cur non fuissent nuptiæ antequam  
 sponsa ingrederetur ædes mariti? Harme-  
 nopulus de loco in quo Sacerdos fausta  
 precaretur, nihil profert. Tantum inquit:  
*Nemo clam nuptias contrahens coronetur, sed  
 pluribus adstantibus. ipse Sacerdos, qui illicitis  
 rebus assensum præstiterit, pendat pœnas.*  
 vides ambiguitatem.

## CAPUT XVII.

*De Anastasii Constitutione, quæ per-  
 mittebat fieri diuortia mutuo  
 consensu.*

**V**Lpianæas quisque non ignorat sen-  
 tentias, nouit consueuisse apud Ro-  
 manos quandoque mutuo consensu & bo-  
 na gratia coniugium dirimere virum &  
 vxorem. hoc non semel protulit Iuriscon-  
 sultus in Pandectis, vt miretur nemo in  
 eandem rem sanciuisse Anastasium Impe-  
 ratorem C. de repud. l. 9. Si constante ma-  
 trimonio communi consensu tam viri,  
 quam



quàm mulieris repudium sit missum, quo nulla causa continetur, quæ constitutioni Theodosii inserta est, *licere mulieri post annum ad secundas nuptias conuolare.* An fas erat, si Christi lex non fert coniugium solui? Imperator non puniebat mulierem, quæ discessisset à viro volente & annuente, adq; secunda conuolasset vota. hinc dixit licere. nec propterea affirmaueris licere lege Euangelica. Iustinianus verò intra angustias compulit Anastasii constitutionem in Auth. vt lic. mat. & auia. §. Quia vero ex consensu. Condidit enim legem, qua non permittit fieri diuortium absque causa, & mutuo consensu, *nisi castitatis concupiscentia hoc fiat.* exempla porrò diuortiorum castitatis causa habes aliquot in meis obseruationibus de dogmatibus, & Ritibus veteris Ecclesiæ, quæ aliquot ab hinc annos prodierunt Romæ.

## CAPUT XIIX.

*Missò repudio potuisse iniri alias nuptias.*

**D**iuortium & repudium sic sunt interpretati Imperatores, etiam christiani, vt existimarint solui vinculum coniugii, deincepsque liberam esse, non minus mulierem, quam virum. Ergo soluto matrimonio mulier si liberet, nubebat alii viro, vir aliam ducebat uxorem. non est quod

B 4 quis

quis dum hæc legit corruget frontem, tol-  
 latque supercilium. Certè si quis sic seiun-  
 gatur ab vxore, vt seorsim degat, non pro-  
 pterea dicitur diuortium fecisse. Accipe  
 iam verba Imperatoris C. de Repud. l. 8. §.  
 4. *nec intra quinquennium nubendi habeat  
 denuò potestatem. & in fine. & nubendi post  
 annum ei permittimus facultatem.* enume-  
 rauerat Imperator causas, ob quas repu-  
 diare se inuicem possent coniuges. quod  
 si mulier secundum legem non se gesserit,  
 non potest denuò nubere nisi post quin-  
 quennium. si verò causam intentatam pro-  
 bauerit, permittit ei Cæsar *facultatem nu-  
 bendi post annum*, ne quis de prole dubi-  
 tet. in lege alia, quæ extat C. de Repud. l. 9.  
 inquit Anastasius Imperator, *licebit mulie-  
 ri post annum ad secundas nuptias conuolare.*  
 quæ tamen lex sublata est à Iustiniano in  
 Auth. vbi non vult licere solui coniugium  
 mutuo consensu, nisi castitatis causa hoc  
 fiat. Vides interim tempore Anastasii po-  
 tuisse mutuo consensu solui coniugium,  
 vt posset mulier post annum alii nubere.  
 Cur verò sic locuti sint de repudio atque  
 diuortio imperatores, si iure Diuino vincu-  
 lum coniugii tale est, vt vxor alligata sit vi-  
 ro quamdiu viuit? nonne Diuina turba-  
 runt, qui sic de nuptiis senserunt? secuti  
 sunt morem Romanum antiquum, neque  
 subtiliter verba Euangelii atque Pauli po-  
 tuere

euere exponere. Ad Antistites si itum fuisset, in alia abiuiissent, neque putassent sic solui posse coniugium, vt aliæ ineantur nuptiæ, quamdiu alteruter coniugum superest.

## CAPVT XIX.

*De matrimoniis inter filios & filias fratrum.*

Varietas exercuit matrimonia inter consobrinos. Romanis ea placuisse opinor, etsi non desint, qui repugnent. Theodosius maior monente, vt puto, S. Ambrosio, primus ea sustulit, teste Victore in Theod. & S. Augustino. Theodosii vestigia secuti sunt Arcadius & Honorius filii. l. manente C. Theod. de incest. nupt. mox idem Arcadius legem à se fratreque latam abrogauit, iusque vetus restituit l. celebrandis C. de nupt. sicque sanciuit Iustinianus, sic ipsius seculum vixit. quamuis postea in Oriente reditum fuisse ad Theodosii constitutionem sunt qui existiment, prolatis verbis Harmenopuli. in Occidente sanè Sum. Pontifices Gregorius & Innocentius III. ea coniugia profligarunt, sed subuenit quandoque Pontifex, de qua re sunt verba Concilii Trident. *in secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam.* *lib. 6. c. 4. promptuar. sess. 24. de Refor. c. 5.* An vsu Curia Romanæ hoc obseruatur? impetratur id

B s etiam

26 De IUSTINIANAEI SECULI  
etiam ab aliis, cum Canones iurum Summi  
Pontificis ab ipso Concilio subiecti fue-  
rint.

CAPVT XX.

*De Muliere vidua nubente alteri an-  
tequam eluxisset mortuum  
maritum.*

*Rom. 7<sup>o</sup> de  
secund. nu-  
ptiis. c. su-  
per illa  
quest. & c.  
cum se-  
cundum.*

**E**Am, quæ mortuo marito conuolaret  
ad secunda vota antequam elaberetur  
annus, infamia notauerunt, aliisque pœnis  
obnoxiam reddiderunt christiani Impera-  
tores, vt videre est l. 1. & 2. C. de secundis  
nuptiis. si quæ tamen nubendi licentiam  
à Principe impetraret, eximebatur turpi  
notæ, l. 18. ff. de his qui not. infam. Quis  
verò dubitet christianas mulieres tempore  
Iustiniani Imperatoris sic se gessisse, vt an-  
ni spatio elugerent maritos vita functos?  
hunc morem, has leges sublatum iuit Ius  
Canonicum prolatis verbis S. Pauli, docen-  
tis mortuo viro mulierem esse liberam,  
posseque pro lubitu nubere. Audiamus  
Innocent. III. cum secundum Apostolum mu-  
lier mortuo viro suo ab eius lege sit soluta, non  
debet legalis infamiae sustinere iacturam: quæ  
licet post viri obitum intra tempus luctus nu-  
bat, concessa sibi tamen ab Apostolo vtitur po-  
testate. cur verò tempore Iustiniani non  
exposita & expensa fuerunt verba Aposto-  
li? cur leges libertati, quam tribuebat Pau-  
lus,

lus iniecerunt fibulam? putarunt, vt puto, Episcopi qui ea tempestate florebant, & solutam esse viduam à lege viri, & Imperatoris iussum non esse insuper habendum, vt intra anni spacium abstineret ab alteris nuptiis, nisi turpi nota vellet insigniri, aliisque affici incommodis. Quæsiuerit verò aliquis, num facto diuortio ob adulterium, aut aliam ob causam, fas foret mulieri dimissæ, alteri nubere statim? hospes qui non est in legibus, dicet non licuisse ei nubere nisi post annum. hoc disertè sancit Imperator C. de Repud. l. 8. §. 4. *Et nubendi (inquit) post annum ei, ne quis de prole dubitet, permittimus facultatem.*

## CAPUT XXI.

*Concubinatum tempore Iustiniani ex legibus nomen habuisse.*

CONCUBINATUS tempore Iustiniani Imperatoris non solum tolerabatur, sed à lege nomen assumebat, vt repetit Tribonianus ex Marciano ff. de concubinis l. 3. §. 1. Concubinæ profectò tunc vxores imitabantur, vt inquit Iulianus Nouell. 18. & apud Zonaram concubinatus appellatus est *ἡμιγάμος* & semimatrimonium. legitimamque coniunctionem ea tempestate fuisse ex l. si qua. C. ad SC. Orfic, docet Cuiacius. de iisdem tulit legem Constantinus C. de concubinis l. vn. vetuitque ne mariti

*in paras.  
C. de concubin.*

con-

28 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
concubinas haberent, vt intelligamus iis,  
qui mariti non erant, fas fuisse tali vitæ ge-  
nere non carere. sed si concubinatus mo-  
ribus illius seculi legitima coniunctio erat,  
non videbatur peccare in Deum, qui cum  
concubina solebat. Secuta tamen secula,  
iubentibus Pontificibus, præeunte Diuina  
lege, vt rem malam damnarunt concubi-  
natum. num vicissitudini obnoxia est ve-  
ritas, & iam crimen est læditque Deum,  
quod illa tempestate legibus erat consenta-  
neum? suppetit responsum, dum dicimus,  
Iustinianum, hominesque illius ætatis ab-  
reptos auctoritate iuris morisque Romani,  
non reiecisse concubinatum. labente verò  
Imperio Romano, antiquatoque iure ciui-  
li (quingentis abhinc annis leges Cæsarium  
silebant in Italia) animaduenterunt Ponti-  
fices, omnem coniunctionem viri & mu-  
lieris extra coniugium, diuino præcepto  
damnari. hinc ius canonicum submouit  
concubinatum. Quod fecisse iam olim  
Leonem Imperatorem Nouell. 91. constat.

## CAPIT XXII.

### *De contubernio inter seruos, & ancillas.*

**I**Nter seruos, & ancillas non matrimoni-  
um, sed contubernium contrahi dicitur  
iure Pandectarum & Codicis, moreque  
seculi Iustinianæi. Paulus lib. 2, sent. tit.  
20. l.

20. l. II. §. Seruiles ff. de ritu nuptiarum. l. 49. de manumiss. testam. adde l. cum ancillis. C. de incest. nupt. l. 35. ff. de ædilit. ed. l. II. §. I. ad leg. Iul. de adult. vt plura non recenseam. Res verò ipsa clamat, non potuisse iure ciuili esse coniugium inter seruos & ancillas, cum nuptiæ sint liberorum hominum, & qui ex iustis nuptiis nascuntur ciues Romani sint, vt docent interpretes instit. de nupt. in princ. hinc qui inuehit coniugium inter seruos & ancillas, rem propriam liberorum tribuit seruili conditioni. Sed num putabant, qui tempore Christianorum Imperatorum viuebant, peccare in legem Diuinam seruos & ancillas, qui coniuges cum non essent, tamen prolis tollendæ causa eodem contubernio utebantur? cur in mentem non venit Cæsaris christianis aut coniugii ius tribuere seruis, aut prohibere ne concumberent? cogimur in hac re fateri, hærete nobis aquam. Pontifices tandem vitandi peccati causa, vt puto, viderunt in Christo neque liberum esse, neque seruum, nullum ab Ecclesiæ Sacramentis debere remoueri, nec coniugia inter seruos & ancillas prohibenda. de coniugio seru. c. dignum est. serò, vt vides, & postquam tot secula stetit res Christiana, id animaduersum.

## CAPUT XXIII.

*An temporibus Iustiniani decimæ exigentur Laicis in vsum Sacerdotum?*

**A**N exigebantur decimæ in vsum Sacerdotum temporibus Iustiniani Imperatoris: id negauerit, qui cogitat nihil de decimis legi in Codice, in quo tamen multa reperiuntur sancita de Episcopis, & Clericis, & Ecclesiis. Quod si consulas acta Conciliorum Oecumenicorum, itidem vix quicquam reperies. Nec tamen caruisse tunc Episcopi & Clerici suis stipendiis dicendi sunt. ali namque Sacerdotes necesse est, in quam rem possunt omitti decimæ, si alia ratione eis consulatur. sed quamuis de decimis nihil inueniamus in Codice, & in Authenticis Iustiniani, non tamen putarim decimarum planè fuisse expertia illa tempora. nam longè antea non pauca prolata fuerunt à S. Augustino, vt est apud Gratianum caus. 16. q. 1. c. decimæ. ex quo apparet non alia ratione cœpisse fideles largiri decimas, quam qua stipem erogabant pauperibus. sic enim loquitur Sanctus vir: *Quanti pauperes in locis, vbi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fuerint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni Iudicis apparebit.* Paulo ante dixerat: *dabis impio militi quod non vis dare Sacerdoti.*



*ri. sic decimæ hortantibus Episcopis col-  
 latae proderant & Sacerdotibus & pauperi-  
 bus, non tamen compellebantur à Iudice  
 fideles, vt largirentur decimam partem,  
 ideò Iustinianus de ea materia nihil in le-  
 gēs retulit. in Concilio porrò Gangrensi,  
 quod celebratum est anno 324. hi duo ca-  
 nones leguntur. can. 7. *si quis oblationes Ec-  
 clesie extra Ecclesiam accipere vel dare volu-  
 erit præter conscientiam Episcopi, vel eius, cui  
 huiuscemodi officia commissa sunt, nec cum  
 eius voluerit agere consilio, anathema sit.*  
 Can. 9. *si quis dederit, vel acceperit oblata  
 præter Episcopum vel eum, qui constitutus est  
 ab eo, ad dispensandam misericordiam paupe-  
 ribus, & qui dat, & qui accipit, anathema sit.*  
 Qui canones à Symmacho Papa exponun-  
 tur de decimis, vnde discere est fideles olim  
 ex fructibus solitos sponte aliquid confer-  
 re, quod ab Episcopo diuidebatur partim  
 clericis, partim pauperibus. Quæ verò li-  
 berè soluebantur, ob inueteratum morem  
 abierunt in necessitatem. Hinc profectæ  
 sunt tot leges Pontificum de modo soluen-  
 darum decimarum, deque ratione compel-  
 lendi eos, qui ipsas non soluerent, qua de re  
 passim interpretes Canonum, & ipse præ-  
 sertim Pontifex Gregorius toto titulo lib.  
 3. decretal. cap. 30.*

*De vouentibus decimam partem, expenduntur verba Vlpiani.*

**V**idetur decimis aliquis fuisse locus tēpore Iustiniani Imperatoris, quando quidem ff. de pollicitat. l. 2. §. vlt. recensentur verba Vlpiani, quibus agit de eo, qui vouet decimam partem. frustra sunt qui sententiam Vlpianæam referunt ad eos, qui pollicebantur Reipublicæ. nam verbum vouere ostendit loqui Iurisconsultam de illo, qui promittit Deo. neque enim quisquam vsus fuerit eiusmodi verbo, quando aliquid hominibus promittitur. Rectè quoque animaduersum ab eruditis viris, sermonem ibi esse de vouente decimam partem Herculi, quem propitium cupiebant esse sibi, quando res facienda erat. sed quid attinuit proferri Vlpiani verba à Triboniano in re antiquata, & Christianæ pietati repugnante? Neque enim tempore Iustiniani licuisset cuiquam lucri causa vouere decimam partem Herculi. Certè si mores illius ætatis, qua scribebat Tribonianus, intueamur, forte satius fuisset dictum Vlpiani omittere. id tamen non neglexit compilator. nam etsi Christiani nec possent, nec vellent quicquam vouere Herculi, poterant tamen vouere Deo vero, summoque Numini. Ita Vlpiani monitum, quod

quod agebat de vouentibus Herculi decimam partem, translatum est in rem Christianam. nec negauerim quosdam tempore Triboniani quandoque vouisse Deo decimam partem, si ex animi sententia versati fuissent in negotiis. votum tamen eiusmodi res stata non fuit, sed raro usurpata, & quidem liberè, eo fere modo, quo apud gentes quandoque Duces vouerunt Apollini decimam partem prædæ, si feliciter pugnassent.

## CAPUT XXV.

*Dicta Iurisconsultorum de sumptibus  
funerum ad Christiana tempora  
fuisse translata.*

Quæcumque in Pandectis leguntur de sumptibus funerum, ea sic exponenda sunt, vt intelligamus plurimum eius impensum fuisse vigente adhuc cultu Deorum apud Romanos. nam cum corpora comburerentur, odores ex Arabia petiti igni iniiciebantur, aliaque nonnulla, quæ magno potuissent redimi pretio. quod non latet peritos funeris Romani. Postquam verò in imperio Religio christiana, quæ corpora mortua non comburit, sed sepelit, obtinuit, ad minorem modum redacti fuerunt funebres sumtus. hinc discere est, Iurisconsultorum dicta sic prolata fuisse, vt de ritu antiquo ipsi quidem locuti fuerint, C sed d

sed à Triboniano digesta Iustinianæa ætate significabant impensas, quales more modoque christiano fiebant, dum sepeliebantur corpora. quod ideò monui, ne quis dum cogitat tempora Vlpiani, Pauli, & aliorum, simul putet, eadem ratione curatum fuisse funus tempore Iustiniani, quo curatum constat, cum de sumptibus funerum ante Constantinum scriberent Iurisconsulti.

## CAPUT XXVI.

*An tempore Iustiniani priuatim à Christianis in agris sepelirentur mortui?*

**L** Vbet quærere, an tempore Iustiniani Imperatoris aliqui suos mortuos sepelirent in agris priuatim, & spatium, quod complectebatur sepulchrum, religiosum efficerent? affirmantem partem defendere est. nam cur alioqui de loco religioso, deque mortuis illatis agro & fundo Tribonianus egisset in Institutionibus, & in Pandectis? peruulgata sunt illa verba: *Religiosum vnusquisque sua voluntate facit, dum mortuum infert in locum suum.* Quis non inde colligat consueuisse christianos tempore Iustiniani Imperatoris sepelire priuatim in agris suos mortuos? id postmodum sublatum est. nam Innocentius III. c. fraternitatem. de sepulturis, non fert quemquam

*instit. de  
rer. diuis  
s. 9. Et ff.  
de relig.  
Et sumpt.  
fun.*

quam relictis antiquis Ecclesiis, & Patrum sepulchris ad noua & minus religiosa loca se transferre. nititur autem Pontifex consuetudine Patrum veteris testamenti, qui cum Patribus suis sepulti esse leguntur. ac more seculi Iustinianæi illato mortuo, locus fiebat religiosus, nec erat necesse sepeliri in monumento familiæ, cum exemplum Patriarcharum non esset instar præcepti, & Romæ prisca condendorum mortuorum ratio vbique obseruaretur, apud eos ipsos, qui Christo nomina dederant.

## CAPUT XXVII.

*Tempore Iustiniani fas non fuisse sepelire mortuos in Ecclesiis.*

Iustinianæis temporibus fas non erat condere mortuos in Templis. in rem extat lex Gratiani, Valent. & Theod. l. 2. C. de Sacros. Eccles. nam & Patres diligentem dederunt operam, ne in Ecclesiis humana cadauera tumulo mandarentur. leguntur in eam sententiam Triburiens. Nanneten. Vassen. Synodi decreta. canon. quibus. canon. nullus. canon. præcipiendum. ne quidem ipsi Imperatores in Ecclesiis sepulti sunt. nam teste S. Chryostomo homil. quod Christus Deus est, aduers. gentes, magni pendebant corpora sua non prope Apostolos, sed extra eorum vestibula sepeliri. hæc olim fuere. hodie in Italia passim

*vide Durans. de*

*Ritib. Ec-  
cles. Cath.* sepulchra intra Tempa parantur, atque  
*cap. 23. n. 6.* construuntur. in Germania videas apud  
iplos Catholicos cœmeteria prope Tem-  
pla. pauci inferuntur Ecclesiis. Cur vero  
Christiani cœperint velle condi intra Ec-  
clesiarum ambitum, id causæ fuit, quod  
consanguinei, qui orant in templo, preces  
pro eis fundunt. Adde merita Martyrum,  
& Apostolorum. legimus apud S. Augu-  
stinum: *Fidelem matrem, fidelis filii de-  
functi corpus desiderasse in Basilica Marty-  
ris poni, siquidem credidit eius animam me-  
ritis Martyris adiuuari.*

*De cura  
pro mer-  
itis c. 5.*

## CAPUT XXIIIX.

*Tempore Iustiniani non licuisse sepeli-  
re mortuos in Urbibus.*

**M**Irari subit à Triboniano insertam Co-  
dici legem Diocletiani C. de Relig. &  
sumpt. l. 12. in qua sic loquitur Imperator:  
*Mortuorum reliquias ne sanctum municipio-  
rum ius polluatur intra Ciuitatem condi, iam  
pridem vetitum est.* Hoc à moribus Chri-  
stianorum abhorrete videtur. an dixeris  
tempore Iustiniani Imperatoris nulla fuisse  
in Urbibus cœmeteria? in Codice tamen  
Theod. de sepulchr. viol. l. 6. sic sancie-  
runt Imperatores Christiani Gratianus,  
Valentinianus, & Theodosius: *Omnia quæ  
supra terram vrnis clausa, vel sarcophagis cor-  
pora detinentur, extra Urbem delata ponan-  
tur:*

eury: vt & humanitatis instar exhibeant, &  
 relinquunt incolarum domicilio sanctitatem.  
 vides Christianos quoque Imperatores exi-  
 stimasse pollui ius Ciuitatum, si ibi con-  
 dantur mortui. Excipiebantur corpora  
 Apostolorum & Martyrum, apud quæ ta-  
 men non permittunt quemquam sepeliri  
 iidem Imperatores dum inquit le. ad. ac  
 ne alicuius fallax & arguta fallacia ab huius  
 se præcepti intentione subducatur, atque Aposto-  
 lorum, vel Martyrum sedem humanis corpo-  
 ribus æstimet esse concessam, ab his quoque ita  
 vt à reliquo Ciuitatis nouerint se, atque intel-  
 ligant esse submotos. Quæ ostendere viden-  
 tur Iustinianæis temporibus non licuisse  
 mortuos in vrbibus & oppidis sepelire,  
 vt affirmare quis ausit, omnia cœmeteria  
 tunc extra vrbes fuisse. Sanè Leo Impe- *Novell. 53.*  
 rator, qui vixit seculo octauo post Chri-  
 stum natum, conqueritur de lege, quæ  
 mortuos non nisi extra Ciuitates humari vult.  
 ipse sancit, vt quicumque iure extra muros, si-  
 ue intra Ciuitatem sepelire mortuos velit per-  
 ficienda voluntatis facultatem habeat. Sed  
 nouellarum Leonis nulla est auctoritas.  
 nam nec ipsius ætate vnquam obtinuisse  
 videntur, nisi in iis, in quibus antea nihil  
 constitutum fuerat, vt iam pridem obser- *lib. 17. ob-*  
 uatum est à Cuiacio. *ser. 31.*

## CAPUT XXIX.

*Olim necesse non fuisse sepeliri  
in Cœmeteriis.*

*f. de ca-  
dan. punit.  
l. 1.*

*in Vespas.  
c. 2.*

**C**Viusuis calamitatis instar putabant esse Veteres carere tumulo. id neminem latet, modò à limine viderit Virgilium, Horatium, atque alios. Hinc tempore Iustini-  
niani, cuius iussu collecta sunt dicta Iuris-  
consultorum, ne quidem cadauera punito-  
rum insepulta iacebant, cum cognatis non  
negarentur. Pœnæ igitur genus erat, si non  
conderentur, quod rarò eueniebat, si  
nempe punitus quis fuisset maiestatis cau-  
sa. hinc legimus iussu Vespasiani quorun-  
dam coniuratorum pœnæ additum fuisse,  
vt insepulti abiicerentur, teste Suetonio.  
Aliud verò est insepultum abiici, aut in pa-  
tibulo deuorari à feris & auibus, aliud non  
sepeliri in cœmeteriis. à iure Canonico  
hoc discrimen proditum est. nam olim  
cum vnusquisque inferendo mortuum,  
faceret locum religiosum, necesse non erat  
cœmeteriis inferri. postmodum autem  
Pontifex iussit, vt quisque cum maioribus  
suis sepeliatur, & in cœmeteriis, vt videre  
est c. 1. de sepulturis. hinc quibus sacris est  
interdictum, alique sic puniuntur, vt licet  
eis tumulus non negetur, non tamen ad-  
mittuntur ipsorum corpora ad cœmeteria.  
Quinimò si quis excommunicatus sepul-  
tus



tus fuerit, exhumandus venit, & ab Ecclesiastica sepultura iactandus, si ab aliorum corporibus discerni queat. c. sacris, de sepulturis. Certè Manfredus Rex Siciliae occisus in prælio, sic reiectus est à Legato Apostolico, & ne planè insepultus iaceret, àque feris absumeretur, iniectis lapidibus utcumque opertus est à militibus prætercuntibus.

## CAPUT XXX.

*Qua ratione lex de mortuis non sepeliendis intra vrbes, euersa fuerit.*

**V**Igente persecutione sub Imperatoribus Deorum cultoribus, in cœmiteriis extra vrbes solitos conuenire Christianos norunt, qui temporum non sunt imperiti. in cœmiteriis porrò fiebat res sacra, cum essent instar templorum, atque ibi sepeliebantur corpora vita functorum. Martyrum quoque reliquiæ condebantur, apudque ipsas offerebatur Eucharistia. nam Altaria, Reliquiæ quæ Sanctorum se inuicem comitantur. postquam verò reddita est Ecclesiæ libertas à Constantino, cœperuntque Basilicæ intra vrbes construi, neglecta aliquatenus est lex illa, quæ vetabat mortuos in vrbibus sepeliri. C. de relig. & sumpt. fun. l. 12. quò nullum Templum reliquiis Martyrum carere poterat. nam in Concil. Carth. 5. cap. 14. Altaria, in quibus nullæ

*de rit. Ec-  
cles. Carth.  
lib 1. c. 25.  
n. 4.*

*in Dialo-  
gis.*

nullæ sunt conditæ Martyrum reliquiæ,  
euerti iubentur. Omitto multa alia, quæ  
muniunt eandem sententiam, quæque legi-  
queunt apud Steph. Durantium. hinc ad eò  
factum, vt corpora Apostolorum & Mar-  
tyrum in vrbes translata fuerint, postquam  
procella sæuitiæ aduersus christianos deto-  
nuit. cœperunt quoque optate viri pii sua  
corpora apud Martyres sepeliri. cum verò  
leges id non ferrent, saltem Imperatores  
prope Basilicas sepulti sunt intra vrbes. Ul-  
terius sunt progressi mortales, & non pau-  
ci obtinuerunt, vt intra ipsa Tempia con-  
derentur. præiuerunt Ecclesiastici, subse-  
cuti sunt proceres, alique. Ergo non pau-  
ca exempla comportare liceret ex scripto-  
ribus, quibus ostenderem iam olim, vel su-  
perstite Imperatore Iustiniano, vel non ita  
pridem è cœtu hominum exempto, l. 12. C.  
de relig. & sumpt. fun. cœpisse vacillare.  
Contentus hic ero iis, quæ apud S. Grego-  
rium prostant. lib. 4. cap. 51. Sanctimonia-  
lem in Ecclesia sepultam esse ait. cap. 51.  
narrat Valeriano Patricio Brixia mortuo  
Episcopum *accepto pretio locum in Ecclesia  
præbuisse.* cap. 53. non tamen Valentinum  
Ecclesiæ Mediolanensis defensorem *in Ec-  
clesia B. Martyris Syri sepultum.* cap. 54. tra-  
dit primum inter Tinctores in Ecclesia S.  
Ianuarii, obtinuisse sepulchrum. Ante-  
quam autem hæc recenseret S. Pontifex, sic  
locu-

locutus est: Quos graua peccata non deprimunt hoc prodest mortuis, quod eorum proximi, quoties ad eadem sacra loca conueniunt suorum, quorum sepulchra conspiciunt, recordantur, & pro eis Domino preces fundunt, quæ referuntur 13. quæst. 2.

## CAPUT XXXI.

*An sepelirentur tempore Iustiniani, qui se interemissent?*

**D**E his qui sibi mortem consciuerunt agitur ff. de re milit. l. 6. §. 7. & C. de bonis eor. qui sibi mort. l. 1. & 2. ff. eod. l. 3. §. 6. & de Iure fisci l. 45. §. 2. Quæ eò tendere videntur, vt si quis conscientia sceleris se occidat, eius bona Fisco adiudicentur. Si verò tædio vitæ & ob morbum, aliamque ob causam extra conscientiam sceleris positam sibi manus inferat, bona transeant ad hæredes. Hæc placuerunt etiam tunc, cum sub Iustiniano orbis Romanus more christiano vteretur. Sed num cœmiteriis poterant inferri corpora eorum, qui ob tædium vitæ se interemissent? puto potuisse inferri, cum id lex non vetet. quemlibet enim sepelire licet, nisi ius prohibeat. Pontifex verò faciendum sibi putauit, vt sepultura carerent eorum corpora, qui violentas manus sibi intulissent. colligitur ex c. ex parte. de sepulturis, vbi Innocentius iubet, mandari Ecclesiasticæ sepulturæ corpus

pus puellæ, quæ casu ceciderat in fluuium, non verò se præcipitem dederat. nam si, vt euaderet, se deiecisset, sepeliri non debuisse. quod colligitur ex verbis Pontificis.

## CAPUT XXXII.

*Quando cæptum aliquid solui Templo tumuli causa.*

**C**VM vnusquisq; olim mortuum suum sepeliret, vbi luberet, cum etiam non fas esset quemquam in vrbibus condere, vt videre est C. de relig. & sumpt. l. 12. atque adeò nulla intra oppida apud Ecclesias cœmiteria reperirentur, nihil dabatur Ecclesie nomine mortui. postquam verò obtinuit mos, vt intra mœnia, & apud Tempora conditoria publica atque communia pararentur, iussere Pontifices, vt Sacerdotibus illius Ecclesie, cui suberat, cum viueret, vita defunctus, aliquid instar mercedis penderetur. verba Leonis III. extant c. Nos instituta. de sepulturis. munit se summus Hierarcha exitu Patriarcharum, cogitat dignos esse mystagogos stipendio, cum mysteria viuenti largiti fuerint. ingerit demum illud Vatis: *ne transilias limites, quos posuere maiores.*

## CAPUT XXXIII.

*Moris fuisse tempore Iustiniani exigere vsuras.*

**D**ifficile est inire numerum eorum omnium,

mium, quæ de vsuris sancita reperiuntur  
 In Pandectis & Codice. Soli duo tituli  
 ea de re ostendunt, quibus moribus vteren-  
 tur mortales in Imperio Romano tempo-  
 re Iustiniani Imperatoris. sunt tamen, qui  
 putant iure authenticorum proscriptas eas  
 fuisse ab Imperatore, quandoquidem ap-  
 probantur Concilia Oecumenica, è quibus  
 Nicænum damnasse videtur vsuras. Re-  
 spondent nonnulli Iustinianum nusquam  
 propriis sanctionibus reprobasse vsuras, li-  
 cet plerisque omnibus Doctoribus aliud  
 visum fuerit. Nec sequi ex hoc vsuras ab  
 ipso reiici, quia in Conciliis damnantur, si-  
 quidem id ex tacita Cæsaris lege deduci-  
 tur, quæ eiusdem manifestis Constitutio-  
 nibus non derogat. Et præterea, quamuis  
 Iustiniani constitutio amplectatur Conci-  
 lia, non censere prohibere ea, quæ à Con-  
 ciliis prohibentur. Lex namque Diuina  
 Evangelica præcipit obtemperandum esse  
 Romani Pontificis constitutionibus, & ta-  
 men non omnia, quæ Romanorum Pon-  
 tificum Decretis prohibentur, lege Diuina  
 prohibita sunt. sed satius erat negare vsu-  
 ras vetitas absolute fuisse Concilio Nicæ-  
 no. nam Canon decimus septimus tantum  
 de clericis loquitur, vt discere est ex ipsa in-  
 scriptione dist. 47. c. Quoniam: & ex notis,  
 quæ iussu Gregorii XIII. additæ fuerunt,  
 ibi hæc leguntur: *Quamobrem hoc Canone,*  
 quo

*Vide Co-  
 uarr. lib. 3.  
 Sar. refo-  
 lut. cap. 1.  
 n. 1.*

quo Patres illi omnes pecuniarias vsuras Clericis interdicerent, voluerunt etiam fescuplum frugum iisdem interdicerent. postea vero in aliis Conciliis, & a Romanis Pontificibus genus omne vsurarum tam Clericis, quam Laicis fuit interdictum, quemadmodum apparet in Decretalibus, tit. de vsuris. nullus iam dubitat malas esse omnes vsuras, debereque non minus Laicos, quam Clericos ab iis exigendis abstinere, at ex solo Canone Concilii Nicæni non licet colligere per se malas esse, quia interdiciuntur Clericis. nam ipsis quædam non est fas exercere, quæ cæteroqui bona sunt. habes in Decretalibus titulum de Clerico venatore. non enim Episcopis, & Presbyteris, & Diaconis licet habere canes, & accipitres venationis causa. an propterea dixeris malam esse venationem? nec Presbyteri queunt inire nuptias, num ipsæ ideò damnandæ sunt? hæc ostendunt temporibus Iustiniani Clericis interdictas quidem fuisse vsuras, quæ tamen passim à Laicis exigebantur iuxta ea, quæ ingenti cumulo sancita leguntur in Pandectis & Codice, quâuis postea Pontifex vniuersum earum genus tanquam malum meritò profligauerit.

lib. 5. tit. 25

## CAPUT XXXIV.

*Dicta S. Litterarum, quæ de usuris  
agunt, non ita accurate lecta fuisse  
tempore Iustiniani.*

Iustinianum clam esse non potuerunt di-  
cta illa S. litterarum: *Si vir fuerit iustus,  
& ad usuram non commodauerit, vita viuet*:  
Ezech. 18. *Qui pecuniam suam non dedit ad  
usuram, non mouebitur in æternum.* Psal. 14.  
*Mutuum date nihil inde sperantes.* Luc. 6.  
*Non fœneraberis fratri tuo.* Deut. 23. Certè  
in Templis passim hæ sententiæ legeban-  
tur & exponebantur. cur ergo usuræ non  
tollebantur? cur de ipsis leges latæ prosta-  
bant? Tam male scilicet cum orbe chri-  
stiano agebatur, vt Diuina iussa ignoraren-  
tur, aut in prauum traherentur sensum?  
forte illud: *Non fœneraberis fratri,* Reipu *Deut. 23.*  
blicæ Mosis sic tribuebatur, vt ad tempora  
noui fœderis non faceret. verba Christi  
apud Lucam consiliis, non præceptis for-  
tassis accensebantur. Sententia Ezechielis  
illuc tendebat, vt Lex Mosis, quæ non fe-  
rebat, vt Iudæi Iudæis fœnerarentur, sarta  
tectâ esset, nec negligeretur, quando iube-  
bat, ne quis ad mulierem menstruo sangui-  
ne fœdam se conferret. quod tamen cum  
vmbri antiqui Testamenti euanuit. Ne-  
que dissimili ratione interpretabantur Da-  
uidis sententiam. Quicquid præferrent  
S. lit.

S.litteræ, homines illius æui vsuris existimabant sibi licere incumbere. Pontifex verò funditus omnem earum molem concussit, deiecit, fretus vtriusque fœderis pagina. inquit autem c. quia in omnibus. de vsuris, eos, qui vsuras exercent, *nequaquam attendere, qualiter vtriusq; Testamenti pagina condemnentur.* Nec dissimulat c. super eod. paginam vtriusque Testamenti detestari vsuras. sic nobis iam ambigendum non est S.litteras ita exponi oportere, vt vsuræ à moribus christianorum depellantur. quamuis omittere nihil sit necesse Pontificem sic esse progressum, vt primum à clericis tantum eas remouerit c. plures eod. Deinceps c. quoniam. addidit tacitè, nec fas esse Laicis operam dare: *Quibuslibet aliis, inquit, vsurarum lucris intendere periculosum est. imò exitiale est.* c. sequenti fatetur: *In omnibus fere locis crimen vsurarum inualuisse.* crimen tamen appellatur, à quo tuendos esse mores nemo sanæ mentis infitias iuerit.

## CAPUT XXXV.

*Non licuisse quomodocunque testari ad pias causas tempore Iustiniani.*

**P**Riuilegia testamentorum ad pias causas sunt, qui petant ex l. habeat vnusquisque. C. de sacrosanctis Eccles. Non rectè, Constantinus enim, vt tribuat libertatem



tatem Christianis, vult licere relinquere bona Catholicæ Ecclesiæ. id nefas erat ante tempora illa. nam Collegia Christianorum illicita erant, cum de eis nullum extaret Senatusconsultum. Collegiis verò illicitis fas non est quicquam relinquere, quod norunt Iurisconsulti. Constantinus igitur amplexus veram Religionem sibi faciendum putavit, vt christianos cœtus sua auctoritate tueretur. dum verò vult vnumquemque habere licentiam relinquendi, quod optauerit Concilio Catholico, non propterea permittit, vt quomodocumque quis relinquat. Sic priuilegia testandi in piis causis, non ad legem Constantini, non ad Iustinianæa tempora sunt referenda, sed ad subsequetas ætates, quando Summi Pontifices non pauca de testamentis sancierunt. Confugiendum igitur est ad Decretum Alexandri III. cap. relatum est. de testam. & vlt. volunt. vbi fatetur, priuilegium testandi in pia causa coram duobus testibus deduci ad examen *non secundum leges, sed secundum Decretorum statuta.* Quis non fateatur eos, qui testantur ad pias causas tempore Iustinianæo solitos obseruare ea, quæ à iure traduntur, quando testamenta condenda sunt?

## CAPUT XXXVI.

*De testium numero, qui requiritur  
in Testamentis.*

**Q**uis nescit Iustinianæis temporibus septem testes requisitos in Testamento l. 8. C. qui testam. fac. poss. l. 12. 21. 26. 28. §. cum autem 30. & vlt. C. de testament. Quamuis aliquando sufficerent quinque, iuxta quorundam sententiam, quæ tamen aliis displicet, vt videre est apud recentiores interpretes Institutionum de Testam. ordin. §. Sed cum paulatim. Reiicit autem Alexander III. c. esse. de Testam. & vlt. volunt. sententiam & morem seculi Iustinianæi, quia à Diuina lege & Sanctorum Patrum institutis, & à generali Ecclesiæ consuetudine noscitur esse alienus. Lex Diuina ait in ore duorum, aut trium testium stare omne verbum. num verò Patres, aut Ecclesia tempore Iustiniani & Theodosii reiiciebant morem ordinandi Testamenta subscriptis septem testium nominibus? Pontifex non videtur loqui de remotis temporibus, quæ fuerunt Iustinianæa, sed de illis, quæ post inclinationem Imperii, postque Carolum Magnum secuta, dediderunt leges Romanas in Occidente hinc de generali consuetudine repugnante Iuri civili, deque S. Patrum institutis loquitur Innocentius. Non autem fuit necesse, vt ex

vt ex verbis Mosis colligerent antiqui, qui vixerunt tempore Constantini, & deinceps, sufficere duos, aut tres testes, ne Testamenta irrita sint, cum Legislator non putarit sententiam illam transferendam ad quæcumque negotia, neque voluerit euertere ea, quæ apud populos singulari ratione fuissent sancita. Nam cæteroqui peccarent illi, qui hodieq; testamenta reiciunt destituta septem testibus. ipsis tamen nullum facessit negotium Summus Pontifex.

## CAPUT XXXVII.

*Constantinum non videri sustulisse pugnas arenarias aduersus bestias.*

**E**T si Constantinus sustulerit Gladiatores l. vn. C. de Gladiator. pen. toll. non tamen sustulisse videtur venationes ferarum, quæ edebantur in Amphitheatro. id verum esse non pauca ostendunt. nam l. vn. C. de venat. fer. indicat solitas transmitti feras ex prouinciis ad Principes. in quem quæso, vsus? vt occiderentur in arena, atque hinc pararetur populo voluptas. Muneris sæpe fit mentio apud Iurisconsultos ff. de leg. & fid. l. 49. & 122. de condit. & demonstr. l. 36. eo nomine venire venationem ferarum quis ambigat? locasse aliquos suas operas aduersus bestias legimus ff. ad SC, orfic. l. 1. §. 6. non id con-

D

iecisset

50 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
iecisset Tribonianus in Pandectas, si vsus  
oppugnandi bestias in amphitheatro tem-  
pore Iustiniani Imperatoris ignoratus fuisset. adde Vlpianum ff. de pœn. l. aut da-  
mnum §. 11. & 12. agere de damnatis *ad lu-  
dum venatorium*. hi cogebantur aduersus  
bestias pugnare. vbi nemo non falsus fue-  
rit aliud esse obiici bestiis, aliud damnari  
ad ludum venatorium. nec negligere fas  
est Modestini verba ff. de pœnis, l. ad be-  
stias. nam docent damnatos ad bestias,  
fauore populi à Præside nequaquam de-  
bere dimitti, si eius roboris, vel artificii  
sint, vt dignè populo Romano exhiberi  
possint. Qui itaque robusti erant, & pu-  
gnandi periti, exhibebantur populo Ro-  
mano, vt in arena certantes aduersus be-  
stias, ei magnam præberent voluptatem.  
iam complicabis pallium, & inquires, ad-  
uersari pietati christianæ eum, qui talibus  
spectaculis pascit plebis oculos, qui que  
permittit homines suas operas locare in re,  
que præsentis periculo vitam exponit. nam  
Pontifex c. felicis, de Torneamentis, vocat  
*detestabiles nundinas, vel ferias, vnde mortes  
hominum proueniunt*, vetatque sepeliri eos,  
qui ibi certantes interfecti fuerunt. c. ad  
audient. eod. hoc diu post Iustiniani æta-  
tem sancitum fuit. Christiani tempore  
illius Imperatoris adhuc aliqua ex parte in-  
dulgebant vetusto mori. nam nec hodie  
patiun-

MORIBUS, PART. I. CAP. XXXIIX. *si*  
patiuntur sibi eripi taurorum venationem  
Hispani. Germani verò calent in frequen-  
tandis athletarum certaminibus, in quibus  
contingit occidi nonnullos. ea tenues ab-  
irent in auras, præcepto si pareretur, vt cer-  
tè parendum est, Pontificio.

CAPUT XXXIIX.

*Bis videri peccasse Tribonianum, dum  
supplicium Crucis ex verbis Calli-  
strati expunxit.*

**M**irretur aliquis supplicii crucis, quod  
frequentissimum fuit ante tempora  
Constantini, nullum apparere vestigium  
apud Iurisconsul. ff. de pœnis l. capitalium.  
sed iam pridem monuere viri eruditi, in  
verbis Callistrati à Triboniano deletum fu-  
isse crucis nomen, eique substitutam furcã,  
vt consuleretur honori Seruatoris nostri.  
Bis tamen videtur peccatum à Compilato-  
re, dum reponit Callistrati verba. An enim  
inter pœnas capitales primus gradus tri-  
buendus erat furcæ, præponendaque viui-  
cremationi? nemo ambigit hanc illa lon-  
gè esse grauiorem. Rectè sanè Callistra-  
tus primum gradum dederat cruci. Sed  
Tribonianus lapsus est, dum substituta  
cruci furca, docere non dubitauit grauius  
puniri, qui suspensus è ligno suffocatur eo,  
qui viuis comburitur. Nemo certè nobis  
persuaserit seculum Iustinianæum ita ine-  
ptiuisse, vt pœnam, quæ longè leuior est

§2 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
viuicrematione, grauiorem esse putauerit.  
sic tamen sensit, dum fides habetur Triboniano.  
si negligens nollet dici, ipsius erat, dum cruci aliud supplicium substituebat,  
eo ordine enumerare gradus capitalium poenarum,  
vt primum largiretur viuicremationi, furcæ alterum.  
Iterum peccauit Compiler. nam quæ scelera grauissimo crucis supplicio expiabantur, illa tantum furcæ reddidit obnoxia, dum l. capitalium ff. de poenis §. famosos, latrones insignes non viuicremationi, sed furcæ addidit, cum tamen Callistratus, cuius uerba proferuntur in eo §. supplicio crucis docuerit, id genus hominum è medio esse tollendum. cur ingens crimen solitum puniri cruce temporibus Callistrati, exceptum est furca ætate Iustiniani? nempe sic placuit Triboniano Callistrati uerba immutare, ne ullum inter poenas appareret crucis uestigium.

#### CAPUT XXXIX.

*Quibus poenis puniuerit Hæreticos seculum iustinianæum?*

**I**N Hæreticos animaduertit Imperator hæctenus, vt ab ultimo abstineat supplicio C. de Hæret. & Manich. toto titulo. inquam rem legi queunt aliquot Epistolæ S. Augustini, qui putat mansuetudini Christianæ non esse consentaneum, quemquam  
ob di-

ob diuersa sacra interficere. Manichæi ta-  
 men, quia ad imam vsque scelerum nequi-  
 tiam peruenerunt, vt dicit Imperator C. de  
 Hæret. & Manich. l. 5. vltimo supplicio tra-  
 duntur l. 5. eod. & l. 11. eod. & 12. hinc in  
 Epitome ex Eclog. Basilic. leguntur hæc  
 verba: *Manichæo in loco Romano degere de-  
 prehensio caput amputator.* Miror verò le-  
 ges, quæ Manichæos supplicio extremo af-  
 ficiunt, sic exponi à Wesembecio, quasi de  
 exilio tantum, & adempta Ciuitate intelli-  
 gendæ forent. nam satis constat, verba le-  
 gum præferre mortem naturalem, non tan-  
 tum ciuilem. Quod si christiani Impera-  
 tores hæreticos non exceperunt supplicio  
 mortis, non est quod aliqui repetant ex le-  
 ge Mosis grauitatem pœnæ, qua è medio  
 tollebantur populi deceptores, cum nemo  
 ignoret illi legi christianos non esse obno-  
 xios. cur enim si vrgetur lex Mosis, ean-  
 dem seueritatem christiani Imperatores  
 sua auctoritate non sanciuerunt? non in-  
 terim euertimus ea, quæ leguntur in decre-  
 talibus toto titulo de Hæreticis. nec viui-  
 cremationem, qua superiora secula, & no-  
 stra quoque tempora vsa sunt in hostes fi-  
 dei improbamus, cum satis superque con-  
 stet, augeri quandoque pœnas, quando id  
 res postulare videtur.

*Quid de Monstris fieret tempore  
Iustiniani?*

**A** Pud Romanos si quando contingeret  
in luminis auras prodire monstra, vt  
infantes quadrimanos, quadripedes, con-  
sulebantur Aruspices, vt docerent quid de  
ipsis fieri oporteret, ac solita necari, vel  
submergi, testis est locuples Iulius Obse-  
quens in libello de prodigiis. Cum verò  
monstra solerent interfici, mirum non est  
si Iurisconsulti pronunciarunt, liberorum  
numero non venisset. liberi non sunt ff. de  
statu hom. At cum sub christianis Impe-  
ratoribus genus Augurum funditus fuerit  
sublatum, quid quæso de monstris fiebat?  
Iustinianus sanè, & ipse secutus antiquam  
Iurisprudentiam, docuit natiuitate monstri  
testamenta non rumpi l. 3. C. de posth. hæc.  
instit. vt verisimile sit etiam tempore Iusti-  
nianæo non educata fuisse monstra, sed oc-  
cisa, aut ob malum omen tollendum, in vl-  
timas terrarum oras è conspectu homi-  
num deportata. Quorum iudicio id fa-  
ctum, si aruspicina obmutuerat? puto vi-  
disse Magistratus consuluisseque Antisti-  
tes. mirum verò est ab iis, qui de moribus  
ingentia volumina edunt, vix quicquam  
de monstris proferri, cum tamen consulta-  
tio ineunda foret, an sint aqua Baptismi  
abluenda?

CAP.



## CAPUT XLI.

*De Iudæorum collegiis licitis. an fuerint ex Gallia, & Hispania expellendi?*

Iudæorum collegia fuisse licita temporibus Iustinianæis, clamant pandectæ non vno in loco, edissent Codex toto titulo de Iudæis & Cœlicolis. nam quod l. i. sancit Antoninus ne quod Cornelia Salvia vniuersitati Iudæorum, qui in Antiochensium ciuitate constituti erant, legauerat, peti possit, id sic est intelligendum, vt nouerimus fœminam illam cum Iudæa non esset, non potuisse quicquam legare Iudæis. Nec enim vnquam his licuit percipere legata ex testamento Gentilium, vel Christianorum. Ius porrò Cæsareum hac in re à Canonico non est euersum, sed ad aliquam redactum angustiam. nam c. Iudæi exte. de Iudæis, possunt ipsi Synagogas antiquas retinere, licet nouas erigere nequeant. idem ferè sancitur c. consuluit, eod. cur verò, cum ita hæc se habeant, expulsi sunt ex Gallia, ex Hispania? non desunt viri graues, qui factum improbant. apud Lusitanos autem cum aut solum esset vertendum, aut suscipienda religio Christiana, plurimi visi sunt amplecti nostra sacra, à quibus tamen animo abhorrebant. En calamitatem totius Gentis. nam cum plu-

56 DE IUSTINIANÆI SECULI  
rimi sub habitu Christiano essent Iudæi, &  
non rarò aliquid committerent aduersus  
Catholicos mores, mirum non est, si non-  
nulli ex illo regno se ad nos conferentes,  
quandoque suspicione laborauerint.

CAPIT XLII.

*Reiicitur quorundam sententia, qui  
putant collegia Iudæorum fuisse  
illicita.*

*cap. 25.*

CVM nullus dubitare m, Iudæorum col-  
legia fuisse licita tempore Iustinianæo,  
restitit amicus prolato loco Suetonii in vi-  
ta Claudii. is enim Imperator Iudæos im-  
pulsore Christo assidue tumultuantes Romæ  
expulisse dicitur. addidit l. quod Cornelia  
C. de Iudæis. quæ minimè turbarunt ani-  
mum. nam etsi Claudius damnasset colle-  
gia Iudæorum, non id propterea transfe-  
rendum foret ad tempora Cæsarum, qui  
duobus, tribus, pluribusque seculis post re-  
gnarunt, cum multa mutantur in legibus  
ferendis. nec Suetonius loquitur de vni-  
uersa Iudæorum gente omnibusque Col-  
legiis, quæ in orbe Romano plurima erant.  
Tantum ait Iudæos, qui Romæ tumultua-  
ri ausi sunt, Vrbe expulsos fuisse, quod nar-  
ratum est etiam à Iosepho. Nec dissimu-  
lo quosdam existimare, imperitia qua-  
dam rerum externarum factum fuisse, vt  
Tran-

Tranquillus, de Christianis cum vellet lo-  
 qui, nominaret Iudæos. Orosius sanè fa- *lib. 7. c. 6.*  
 tetur se nescire, vtrum contra Christum tu-  
 multuantes Iudæos coërceri iusserit, an  
 etiam Christianos simul velut cognatæ re-  
 ligionis homines voluerit expelli. Porrò  
 de l. quod Cornelia C. de Iud. iam meam  
 sententiam protuli. hanc Munio conie-  
 ctura ducta ex nomine. Quis enim non  
 fateatur sic vocatam illustrem fœminam,  
 quæ cum legauerit bona vniuersitati Iu-  
 dæorum videtur imbuta fuisse ipsorum su-  
 perstitione, aut saltem ipsis admodum fa-  
 uisse. leges verò Romanæ etsi Iudæis se-  
 curitatem præstarent, non tamen patie-  
 bantur ipsorum superstitione alios infici.  
 hinc vetuit Imperator ne Iudæus Christia-  
 nam mulierem habeat coniugem l. 6. C. de  
 Iud. fuisse autem licita Iudæorum Colle-  
 gia, si quis dubitat, videat C. de Iu-  
 dæis l. 2. 4. 5. 8. 13.

14. 17.



D 5





DE  
IUSTINIANAE I  
SECVLI MO-  
RIBVS.

PARS ALTERA.

CAPIT I.

*An sub Iustiano non fuerit certa  
de diuinis sententia?*

**V**T inuidiam conflet seculo no-  
minique Iustiniano Procopi-  
us in Anecdosis, ait nullam cer-  
tam tunc fuisse de diuinis sen-  
tentiam. Quod forte protulit,  
quia Monothelitarum, Origenistarum, a-  
liorumque vigeant in orbe opiniones. id  
tamen pronuncianum non erat, si Iusti-  
nianus in Codice tam multa edixit de sum-  
ma Trinitate, statimque in principio ex  
constitutione Theodosii manifestum fecit,  
in qua fide vellet cunctos populos Deum  
colere, & venerari. Nonne sola illa con-  
stitutio narrationem Procopii pessundat,  
& conterit? Adde non pauca in eodem co-  
dice contra Manichæos, Iudæos, Gentiles,  
ali-

60 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
aliosque prolata. Cur etiam sub ipso con-  
uocata est Synodus quinta, nisi vt auctores  
trium capitulorum, & Origenis studiosi  
profligarentur, quod etiam factum felici-  
ter. ipse Imperator contra Nestorium, O-  
rigenem pulchros composuit, ediditque li-  
bros, de ipso sunt verba Cedreni: *persecutio-  
nem græcæ religionis, & omnium heretico-  
rum instituit.* Si verò quia aliquot opinio-  
nes ab audacibus hominibus illa tempesta-  
te non desierunt spargi in vulgus, licet di-  
cere, nullam certam sententiam de diuinis  
fuisse sub Iustiniano, eadem nota impi-  
genda foret Constantino, Theodosio, Ar-  
cadio, Honorio, Marciano, qui tamen de-  
derunt operam, vt omnes idem de Deo, de-  
que mysteriis sentirent, licet iniquitas tem-  
porum non tulerit, vt voto suo potirentur  
omni ex parte.

## CAPIT. II.

*Moris non fuisse, vt Pontifices Roma-  
ni interessent Conciliis generalibus  
in Græcia.*

**M**iretur quis sanctissimum Pontificem  
Vigiliam profectum in Orientem eo  
tempore, quo conuocata fuerat Synodus  
quinta, etsi peramanter rogatus fuisset, vt  
Concilio interesset, renuisse tamen, nec  
precibus patrum passum esse hac in re lo-  
cum. Quid magis decet, quam caput præ-  
esse

esse membris? Nonne pro ipso rogavit Christus, ne eius deficeret fides? Noluit prudens Pontifex se credere externis hominibus, cum praesertim non antiqua esset contentio, quae agitavit legatos Apostolicæ Sedis in Chalcedonensi Concilio. Sane in morem tunc abiisse propositum Pontificum Romanorum, ne coram adessent cœtui Episcoporum, acta Concilii Nicæni, & subsequutorum nos satis superque docent. Inspice sis octo generales Synodos, quæ celebratæ sunt in Oriente, nusquam videbis accedere ad cœtum Papam Oecumenicum Romæ. Non comites potuisset habere Episcopos Occidentis ob spatia locorum. Ne dicam, tunc numerum Antistitum Occiduorum longè fuisse minorem eo, qui decorabat Præsules Græciæ, ubi Imperator robur eis addebat. quod volui proferre, ut intelligeremus cur tempore Iustiniani quintam Synodum sua præsentia noluerit cohonestare Vigilus. Vide præfationem ad eandem Synodum in Concil. General. editis Romæ tom. 2. pag. 519.

## CAPUT III.

*De More proponendi Evangelia coram  
Synodo. de aureo Codice Evangeliorum.*

*Quid nomine Evangeliorum  
intelligendum?*

**M**axima veneratione prosequebatur  
mos

mos Iustinianus Codicem quatuor Euangeliorum, ut res maximæ proposito eiusmodi libro peragerentur. Hinc legimus in quinta Synodo dixisse Sextilianum Africanæ prouinciæ Episcopum Collat. V. *Quoniam proposita sunt Sancta Euangelia.* vides coram Codice Euangeliorum edito loco prostante Episcopos solitos de rebus fidei differere, & capita conferre. Si quando autem iurandum alicui erat in Synodo, iurabat (forte tangendo) per Euangelium. sunt in eadem collat. non pauca exempla. quisque aiebat: *per sanctas Scripturas veritatem dico.* aliquando, *per istas sanctas Scripturas.* quandoque *per istam virtutem.* Illud addo ob lapillos, aliumque ornatum fuisse eiusmodi librum perquam pretiosum. Nam in triumpho suo Bellisarius detulit hoc spolium ereptum Vandalis, qui si Catholici non erant, Christianam tamen profitebantur fidem. de Codice delato in pompa triumphali Zonaram audi in Iustiniano: *post dies aliquot cum iterum ludi equestres in theatro agerentur, spolia bellica per mediam urbem ostentata in stadium inferuntur libri sacrorum Euangeliorum vndique auro resurgentes, & omnis generis lapillis distincti.* dicemusne nomine Euangeliorum intelligi totam narrationem de vita Christi singillatim conscriptam à Matthæo, Marco, Luca & Iohanne? id videtur affir-



affirmandum, cum vix quicquam nos cogat ambigere. Forte tamen erit, qui existimet intelligi de Codice, in quo partes ex Euangeliiis descriptæ continebantur; eæ nempe, quæ per vicissitudinem recurrentium hebdomadam leguntur in Missa exponunturque ex ambone publicè populo. Sic accipit sæpe Codinus de offic. Nolim in re ambigua quicquam pronunciare. Audiam potius, qui certam suggerat sententiam.

## CAPUT IV.

*De S. Eucharistia dari solita  
pueris.*

**M**Orem quendam præterire mihi nefas, dum Iustinianæi seculi recenseo instituta. Consueuerant nempe Sacerdotes Constantinopoli, si plusculum de partibus immaculati diuini que corporis Domini Dei & Seruatoris nostri Iesu Christi reliquum esset, pueros incorruptos (*ἀφρόγυς*) vocare ex eis, qui ludum frequentabant literarium, vt ieiuni reliquias illas ederent. *Lib. 17. c. 28* id refert Nicephorus in hist. Eccl. & annotat in margine vir doctissimus Iohannes Langius his verbis: *Reliquiæ Eucharistiæ pueris innocuis Constantinopoli dari solitæ.* id sibi contigisse narrat historicus, in quem notas exarat Langius. nec frustra mos iste refertur, nam eodem recensente, puer Iudæus,

deus, qui reliquias etiam Eucharistiæ per-  
ceperat, mirificè in igneo, & candenti fur-  
no saluus conseruatus. Quod mirificè non  
solum conterit perfidiam Iudaicam, sed  
obmutescere cogit nostræ tempestatis se-  
ctarios de præsentia Corporis Christi in  
Eucharistia ambigentes. Quale enim est  
editum miraculum, vt ignis depasci non  
potuerit membra pueri, quem tuebatur  
Christi corpus? de ipso verò more quid  
sentiendum? Nusquam vetuit Christus da-  
re pueris Eucharistiam. Cur reprehende-  
mus vrbs Regiæ, grauissimorumque Sa-  
cerdotum institutum? quod tamen subse-  
cutis temporibus omissum nouimus non  
absona ratione.

## CAPUT V.

*De more inserendi nomina  
Diptychis.*

**D**Iptycha, libri Ecclesiastici, comple-  
ctentes nomina tam viuentium, quam  
mortuorum Catholicorum, dignitate ful-  
gentium sunt in ore omnium. Egit de his  
perquam prolixè Rosueidus in notationi-  
bus ad vitas patrum post plurimos. Mihi  
nefas ipsorum spoliare scrinia. Nec tamen  
licet silere de Diptychis, quando mores ex-  
pono seculi Iustiniani. occurrit verò ab  
locus aliis, quod sciam, non annotatus, qui  
facit ad sumam Iustiniani Imperatoris lau-  
dem.

dem. is extat in quinta Synodo Collat. 2.  
 Nam & Sanctas quatuor Synodos maiestas  
 ipsius Sacris Ecclesie Diptychis inseri, & pra-  
 dicari fecit: quod ante imperium diuinitus  
 ei datum in sancta Ecclesia non procedebat.  
 recitari in Diptychis argumentum erat Or-  
 thodoxias, Catholicæque notæ. iussu Iu-  
 stinianæo inserta sunt nomina quatuor  
 Conciliorum generalium, ne quisquam  
 ambigeret veritati diuinæ esse consenta-  
 nea, quæ in eis exposita fuissent. Sed an-  
 non fuere Catholici Imperatores ante Iu-  
 stinianum, qui potuere iubere, vt infere-  
 rentur? respondere est, aliquos Cæsares *Zonar. in*  
 Catholicos non fuisse, Basiliscum, qui *Annals*  
 Chalcedonense Concilium abrogauit, A-  
 nastasium Eutychianum. alii forte pecca-  
 runt negligentia. primo Iustiniano venit  
 in mentem præcipere, vt Diptychis adde-  
 rentur quatuor Synodi.

## CAPUT VI.

*Vsu seculi Iustinianai quibusdam ana-  
 thema dictum etiam post mortem.*

Illud solemni vsu est comprobatum tem-  
 pore Iustiniani Imperatoris, posse eum,  
 qui cum viueret orthodoxus non fuit, &  
 libros scripsit praua Catholicæque Fidei  
 contraria complectentes dogmata, etiam  
 post mortem damnari. Nam in quinta  
 Synodo trium Capitulorum auctores, licet

E

iam

66 De IUSTINIANAEI SECULI  
iam vita fuissent functi, anathemate fuere  
perculsi. id vides saepe in illo repeti Conci-  
lio. Ne verò deterrentur Patres à tali  
sententia ferenda in mortuos, calcar cur-  
rentibus addidit statim in principio Iusti-  
nianus in Epistola ad patres Coll. 1. *Horta-  
mur etiam illud disceptare, quod vanè profer-  
tur ab eis, qui dicunt non oportere post mor-  
tem hereticos anathematizare, & sequi in  
hoc doctrinam Sanctorum Patrum, qui non  
solum viuentes hereticos condemnauerunt,  
sed & post mortem, vtpote in sua impietate  
mortuos anathematizauerunt. Vide ibi, quæ  
Sextilianus legit ex epist. Sancti Augustini  
50. ad Bonifacium Comitem, obseruati  
dignissima. si dicas omnia crimina finiri  
morte cum Iurisconsultis, respondebo fi-  
niri omnia præter perduellionis crimen,  
vt tradunt Doctores ad leg. Iul. Maiest. ex-  
æquatur autem perduellioni hæresis cum  
sit Reipublicæ, salutique omnium per-  
quam exitialis, vt propterea etiam post  
mortem damnetur memoria eius, qui tali  
scelere laborasse deprehenditur.*

#### CAPUT VII.

*De festo exceptionis Domini instituto  
sub Iustiniano.*

**S**I credimus Nicephoro in mores seculi  
Iustinianæi, iubente, aut saltem satagen-  
te Imperatore transiit festus dies exce-  
ptio-

ptionis Seruatoris nostri, qui etiam Purificationis appellatur, à Græcis dictus ὑπαπαντή. *lib. 27. c. 28*  
 En verba historici: *Idem imperator tunc primum Seruatoris exceptionem toto orbe terrarum festo die honorare instituit.* an in Occidente ante Iustinianum notus esset hic dies festus, videant periti rerum Ecclesiasticarum. Mihi in eam rem nihil suppetit. Ne quis porrò miretur à Iustiniano tunc institutum talem morem, subiicit Annalium scriptor, etiam Mauricium Sacrosanctæ Dei Genitricis dormitionem quintodecimo Augusti die celebrari præcepisse. An à Græcis nos Latini hunc ritum accepimus?

## CAPUT IIX.

*De Iustiniana Patria Iustiniani euectâ ad Archiepiscopalem dignitatem.*

SI vllus Imperator, inter eos, qui Christiani fuerunt, exercuit auctoritatem in res sacras, Iustinianus certè præ cunctis extendit illuc suas vires. Exemplum insigne esto Iustiniana ipsius patria ad Metropolitanam euectâ dignitatem. hoc vt intelligatur, nouerimus apud Dardanos Europæos, qui ad Epidamni fines accolunt, regionem Tauresiam fuisse, dictam Iustiniani patriam. vrbs verò, vbi natus, Acrido dicta, de qua Nicephorus: *Acrido vrbs est in excelso* *cap. 28. lib. 17.*

68 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
tumulo constructa prope lacum maximum,  
qui Lychnedus nominatur, antiquitus autem  
Dassarites appellatus est. Vide plura ibidem.  
iam de honore Ecclesiastico tributo videa-  
mus. Ait enim ille ipse historicus: Patriæ  
quoque, suæ Acrido præcipuum honorem habens,  
Archiepiscopali dignitate eam decorauit; Ec-  
clesiamque ibi liberam, quæ ipsa sibi caput esset,  
cum plena potestate constituit & primam Iu-  
stinianam mutato nomine vocauit. id repe-  
rire est apud ipsum Iustinianum in Auth.  
de Ecclesiast. tit. cap. 3. vbi iubet eam habe-  
re sub sua iurisdictione Episcopos Prouin-  
ciarum Daciæ, Dardaniæ, Mysiæ, Panno-  
niæ, atque hos ab ipsa ordinari. Num verò  
potest aliqua Ecclesia esse sibi caput cum  
plena potestate? eiusmodi verbis intelligit  
Imperator non esse ordinandum Archie-  
piscopum Iustinianæ ab aliquo Patriarcha.  
sic legimus in Concilo Ephesino Part. 2.  
Act. 7. iussisse Synodum non oportere ab  
Antiocheno Episcopo ordinari Episcopos  
Cypri, cum nulla doceret memoria eos un-  
quam ab ipso ordinatos fuisse. Itaque Ar-  
chiepiscopalis Ecclesia dicta est sibi esse ca-  
put, quod ordinari ab aliquo Patriarcha  
non indigeret. Nitebantur autem Cypri  
Antistites vetustissima consuetudine. Iusti-  
niana verò id priuilegium accepit ab Im-  
peratore. quæ omnia sic exponenda sunt,  
vt non negemus quemlibet Archiepisco-  
pum

pum tunc saltem subfuisse Synodo Generali, ut à qua potuisset in ordinem redigi, & à summo Pontifice Romano, si contigisset ipsum ire per devia errorum. quæres porro, à quo ordinaretur & eligeretur Archiepiscopus Iustinianæ? responsum facile est. Nam Synodus hæc peragebat eorum Episcoporum, qui erant in illa prouincia. iterum scire cupies, an fas fuerit Cæsari tale priuilegium suæ conferre patriæ? Contulit, an conferre posset non disceptauit.

## CAPUT IX.

*An diuisum esset Imperium inter Iustinianum, & Theodoram?*

**C**um leges Romanæ repellant fœminas ab omnibus muneribus publicis l. fœminæ ff. de regul. Iur. monstri quid simile foret, si fœmina ipsi Romano Imperio habenas admoueret. Zonaras tamen hæc in vita Iustiniani scripta reliquit verba. *Iustiniano principatum adeptæ non vnus, sed duorum potestas fuit; cum vxor eius non minus ipso ac potius plus posset.* vides diuisum sic fuisse inter Theodoram, & Iustinianum Imperium, ut potior pars penes mulierem esset. Audeo autem affirmare Imperatorem fuisse Iustinianum, suoque iure imperasse: si quid verò auctoritatis habuit Theodora, hoc imputamus Cæsari valde pro penso in pulcherrimam eloquentemque

70 DE IUSTINIANÆI SECULI  
vxorem. Hospes qui non est in annalibus  
nouit, magnam vim esse fœmineæ formæ,  
atque gratiæ in animos Principum, licet  
cæteroqui prudentissimi sint. Liuia pro-  
fectò, si credimus Tacito, senem Augu-  
stum deuinxerat. Superiori tempestate  
quid non poterat apud Solimannum Ro-  
xolana? An dices Imperium fuisse penes  
Liuiam, penes Roxolanam, quia multum  
indulgebant sapientes illi Principes vxori-  
bus? transfer hæc ad Zonaræ verba expo-  
nenda, & omnia in tuto, inq; portu erunt.

CAPIT X.

*More Iustinianæi seculi consueuisse  
adorari Imperatorem. Cur iam, & qua  
ratione Pontifex summus ado-  
retur?*

Sunt verba Zonaræ in vita Iustiniani:  
Cum iam ad Imperatorem peruentum es-  
set, Belisarius Gelimeri persuadet, vt humi  
procumbat, & Imperatorem adoret, procum-  
bit & ipse Belisarius, vt Gelimeri ostenderet,  
eum id facere iussum non vt captiuum, sed  
quia moris sit hoc modo adorari Romanorum  
Imperatores. En tibi in recitatis verbis se-  
culi Iustinianæi in ipso Iustiniano morem,  
dum palam adoratur. Ne fremat, qui hoc  
audit, quasi diuinos sibi rapiat honores ho-  
mo. nam ciuili id factum ratione, planè vt  
in veteri Testamento à populo adoratum  
Regem



Regem legimus. Quis rem tanquam malam, diuinoque Numini aduersantem respuat, & iugulet censoria nota, quam veteris fœderis commendat vsus? Adde in vita Caroli M. hæc legi: *Post laudes à domino Apostolico more antiquorum Principum adoratus est.* An Apostolicus peccasset in Deum, si fas non foret adorare Cæsarem? Quis etiam reprehendat morem omnium Christianorum? Nam ita ferebat consuetudo eorum, qui tempore Iustiniani vivebant, & vixerant antea sub Christiana pietate, & deinceps vixerunt, vt id obseruantiq; atq; cultus deferretur Cæsaribus. Fateor id tandem sublatum, & obtinuisse, vt ob summam dignitatem Ecclesiasticam adoretur summus Pontifex Romanus, id nos etiam longe sublimiori tuemur modo, quã quo diximus rectè factum ab iis, qui Imperatorem humili prosecuti sunt cultu. Nihil enim supererit, quod in moribus obnoxium non possit reddi reprehensioni, si non ambigas omnes Catholicos, dum venerantur prouisi Pontificem, reiicere. Cum præsertim adoratio videatur valde accedere ad Religionem, & Religionis apex summusque arbiter rerum sacrarum sit Pontifex, longè magis rationi esse consentaneam, consuetudinem nostram, quam fuerit illa, affirmare possumus.

## CAPUT XI.

*An Augusta exaequaretur Principi  
sub Iustiniano?*

**E**X Zonaræ Annalibus discimus, Theodoram Iustiniani coniugem non minus quam Imperatorem coronatam à Iustino Thrace. discimus etiam adoratam fuisse à Belisario, & Gelimere captiuo post debellatam, redditamque Imperio Romano Africam. id nobis tradidit idem Zonaras, cuius verba transcribere iam opus non est. An qui honores proprii sunt Imperatoris communicandi veniunt cum foemina? An hic mos Iustinianæ ætatis laudandus? dixerim annuente Cæsare hæc omnia posse tribui Augustæ. huic responso præiit Vlpianus ff. de legib. & Senat. l. 31. nam Princeps quidem suo iure solutus est legibus, non item Augusta. Princeps tamen solet Augustæ eadem tribuere priuilegia. Vides quam longè infra Principem sit posita Augusta. nam qui honores, quæ priuilegia illi tribuuntur, à iussu, à voluntate Cæsarea, velut ex fonte manant. Ergo si Theodora coronata est, factum id volente Iustino; si adorantes vidit Belisarium, & Gelimerem, id Marito erga se beneuolo acceptum tulit.

CA-

## CAPUT XII.

*Quæ de Senatoribus reperiuntur in  
pandectis, transferenda etiam ad Sena-  
tores Constantinopolitanos.*

**C**VM Byzantium exæquaret Romæ  
Constantinus, ei etiam tribuendum  
putavit Senatum. Hinc historiæ & anna-  
les nobis frequenter memorant Senatum  
Constantinopolitanum, qui forte etiam  
maioris fiebat, cum decoraretur præsentia  
Imperatoris. Ergo quæcumque Tribon-  
ianus in pandectis collegit de Senatori-  
bus, illa omnia exponenda sunt non minus  
de Senatoribus Constantinopolitanis, quàm  
Romanis. si dicas, non potuisse Vlpianum,  
Marcellum, Modestinum, Pomponium,  
aliosque loqui de Senatoribus Constanti-  
nopolitanis, cum Byzantium tunc noua  
Roma non foret, facile est responsum, si  
cogites, à Triboniano collecta fuisse ex Iu-  
risconsultis, quæ inseruient etiam Sena-  
tui Constantinopolitano, licet tunc cum  
ipsi scriberent nondum esset talis cœtus.  
quod monuisse memini de Præfecto vrbis,  
cum anno præterito de Iustinianæi Seculi  
moribus ederem primam partem.

*Tempore Iustiniani quæ maior esset  
auctoritas Senatus Romani, an  
Constantinopolitani?*

**T**Empore Iustiniani non destituebatur Senatu noua Roma, nec vetus putanda est eum non habuisse, licet fractum multiplici calamitate. quærere verò lubet, cui maior videatur tribuenda auctoritas? Adime Cæsarem Senatui, quid superesse credimus? iam ante Iustinianum cœperat Roma non habere Imperatorem, in Italia cum regnarent Gothi. quæ condidissent Senatores Senatusconsulta absque Cæsare? Nec poterant renunciare aliquem Imperatorem, cum destituerentur viribus, nec velent offendere eum, qui nouæ præerat Romæ. Quæ omnia si perpendas, non dubitabis pronuciare, longè maiorem amplitudinem, atque auctoritatem fuisse Iustiniano seculo Senatus Constantinopolitani, quam Romani. de Constantinopolitano hæc intellige apud Zonaram in Iustino: *cum autem principes aliquando orarent, vt illum collegam ascenderent*: in Anastasio. *Ariadna Anastasium silentiarium de sententia Senatus, & legionum, ad imperium euexit.* Plura ipse lege apud scriptorem Annalium.

## CAPUT XIV.

*An agendum fuerit à Triboniano de  
Senatusconsultis? cur sub Constantino, cate-  
risq; subsecutis nullum memoretur  
Senatusconsultum?*

Senatusconsulta si inspiciantur à Placento collecta, & ab Ant. Augustino diligenter exposita, nullum reperimus, quod non sit antiquius temporibus Constantini, vt suspicari liceat post illam Cæsarem Senatusconsulta planè siluisse. quod mirum fortasse non videbitur, nam duo Senatus constituti fuerunt, cum vnus tantum Romam exornaret, antequam Constantinus Byzantium migraret. Quod cum ita se habeat, cur Tribonianus non minus in Cod. quam in Pand. titulum nobis dedit de Senatusconsultis? Nec enim operæ est agere de iis, quæ in vsu esse desierunt. Vt his occurram, fateor nullum Senatusconsultum conditum à tempore Constantini ad Iustiniani Imperium memorari in collectione, non tamen inde asserere est nullum editum fuisse. Quis enim neget in Senatu Romano, & Constantinopolitano sub Imperio Constantini, Constantis, Valentis, Arcadii, Theodosii, aliorumque quicquam sancitum fuisse? quid enim fuisset Senatus absque Senatusconsultis nisi nomen re destitutum? Aut si forte lubet dice-

dicere, temporibus narratorum Imperatorum non defuisse quidem vtrique Romæ Senatum, sed in legibus ferendis non habitam ipsius à Cæsaribus rationem, vt propterea præcepta generalia ipsi suo Marte condiderint, constitutiones appellauerint, & tunc multæ quidem Constitutiones editæ sint in lucem, de Senatusconsultis autem, quæ vim præcepti generalis habuerint, altum fuerit silentium; noluisse tamen collectorem Tribonianum Senatusconsultorum nomen omittere vetustatis honore tactum. Nam & Consules recenseret & Senatores, cum tamen sciamus auctoritatem ipsorum nequaquam talem fuisse Iustinianæis temporibus, qualis erat olim, Respublica Romana cum floreret.

## CAPUT XV.

*An tempore Iustiniani essent duo  
Consules?*

**V**Nusne an duo fuerint Consules tempore Iustiniani Imperatoris? quero. duos fuisse quis dubitet, si semper Romanis fuere duo? adde, Vlpianum ff. de offic. Consul. duorum facere mentionem. cur verò Tribonianus transtulisset ad sua tempora dicta de duobus, si duo sub Iustiniano non erant? vt respondeamus consulendi sunt nobis fasti. sed prius dico: constructa noua Roma, institutoque altero Senatu, non pro-

propterea auctus est numerus Consulium. Ergo vtraque Roma suum habebat Consulem, vt intelligerent Romani vnum esse Imperium, vnumque nomen Romanorum. quandiu itaque licuit per irruptiones Barbarorum, creati semper sunt duo Consules, vnus in Oriente, in Occidente alter, quod etiam euenisse sub Iustiniano nouimus, vt rectè Tribonianus deprompserit ex Vlpiano, quæ de duobus docuerat Consulibus. Tandem Anno à Christo 534. II. X. Imperii Iustiniani, ob bellum Gothicum Romæ non potuit renunciari Consul, hinc in fastis, quos edidit Contius, recensetur solus Paulinus Consul in Oriente.

## CAPUT XVI.

*De Officio Consulis tempore Iustiniani.*

*An Proconsul praeferretur Consuli?*

**M**iraris lector, qui legis verba Vlpiani ff. de offic. Consul. l. vn. tam pauca tribui Consulibus, quod scilicet consilium præbeant manumittere volentibus, vt extra manumissiones nihil de ipsis referatur, cum tamen Consules sint dicti, quod consulerent Reipublicæ. præerant enim exercitibus, & prope regiam habebant in vrbe auctoritatem, vt nos docet præter alios Polybius lib. 6. Cur tam pauca transumpsit ex Iurisconsultis Tribonianus de Consulari potestate, cum valde multa depromat de Pro-

Proconsulis officio? Nonne par est Proconsuli præferri Consulem? certè videtur se irridendum propinare, qui Consulem Proconsuli posthabet. Fateor, vt nodum soluam, olim stante republica amplissimum fuisse munus Consulare, de quo magnificè locutum scimus Polybium. vbi verò Cæsarum inualuit potentia, & in vrbe, & foris, visa est languere amplitudo Consularis. retentum tamen est nomen, retenta externa species, vt hoc daretur veteri Reipublicæ. ipsi Cæsares Consules dici voluerunt. Anni etiam numerati semper sunt secundum nomina Consulium. pauca ergò, quæ ad ius faciunt, retulerunt Iurisconsulti, pauca repetenda sibi putauit Iustinianus. nam si speciem quandam respicias, maior erat Consul sub Cæsaribus, quam Proconsul; sed si intuearis imperium, & iurisdictionem, præferri quis non asserat Proconsulem Consuli? Proconsul namque nomine populi Rom. præerat alicui provincie cum summo imperio, Consul vero omni fere destituebatur iurisdictione, imperio certe plane carebat.

## CAPUT XVII.

*De præfecto Vigilum apud Constantinopolitanos.*

**Q**uod legitur in Pandectis de offic. præfecti vigilum, id tu transfer etiam ad præ-



præfectum vigilum, cui incumberebat cura nouæ Romæ. Nouimus præfectum vigilum primum institutum fuisse ab Augusto. nam cum septem cohortes opportunis locis constituisset, ut binas regiones urbis vnaquæque cohors tueretur: præposuit eis tribunos, & super omnes spectabilem virum, qui præfectus vigilum appellaretur. diuisisse porro Constantinum nouam Romam in quatuordecim regiones, discere est ex incerto auctore, qui ante tempora Iustiniani vixit, regionesque singillatim descripsit. si cui verò præstò non scriptor ille, perlegat Topographiam Constantinopolitanam diligentissimi viri Petri Gyllii. Par ergò fuit, ut more Augusti Constantinus tribueret custodiam urbis septem cohortibus, quibus præesset præfectus. Cæteroqui quid proderat de offic. præfect. Vigilum titulum in pandectis instituere? dices, saltem veterem Romam habuisse præfectum, regeam tempore, quo Pandectæ colligebantur vix videri habuisse talem Præfectum Romam, cum à Gothis fuisset direpta, & quotidie ab iisdem vexaretur. At Constantinopolis fulgebat præsentia splendoreque Cæsareo.

## CAPUT XIIX.

*Comparatur Præfectus Prætorio, quâ-  
lis erat tempore Iustiniani cum eo, qui  
vixit ante Constantinum.*

**Q**ui legis ff. de offic. Præf. Prætorio, mi-  
raris tam pauca de amplissima dignita-  
te proferri, cum tamen satis constet longè  
plura ei tribuenda, si contemplemur insti-  
tutum Constantini, aut morem seculi Iu-  
stinianæi. Ego puto plura dicta fuisse à Iu-  
risconsultis, qui vixerunt ante Constanti-  
num de eiusmodi munere, cum reuera post  
Cæsarem primas haberet. Attamen cum  
post Constantinum non idem esset rerum  
status, ea tantum excerpfit Tribonianus,  
quæ ad sua tempora facere poterant. Nam  
à Præfecto Prætorio non minus ante quam  
post Constantinum non licebat appellare  
ff. de off. Præf. Prætor. l. vn. §. i. nec aduer-  
sus illos peti in integrum restitutio nisi ab  
ipsis eod. §. 2. l. Præfecti ff. de minor. singilla-  
tim verò de Præfectis Prætorio à Constan-  
tino institutis hæc obseruanda. Non vni  
Prouinciæ tanquam Præses, Proconsul, sed  
toti diœcesi, seu tractui præest terrarum,  
quæ multas Prouincias contineat l. i. C. de  
prox. sacr. scrip. l. i. C. de off. Vic. l. i. C. vt  
omnes iud. vt in iis disciplinam militarem,  
& ciuilem tueantur, & summam rerum  
Imperii nomine Principis, cuius Prætorio  
præ-

præsidet, & in quo ius dicunt vice Principis gubernent, l. 2. C. de off. Præf. Prætor. Orient. quare Præsides Prouinciarum sibi habet obnoxios, l. 2. l. 4. C. de offic. Rect. Prouinc. eundemque creat, eligit, l. si quis C. de aduoc. Iudic. diu. castigat, remouet, l. 3. 4. C. de offic. Præf. Præt. Orient. hæc aliaque nequaquam rectè transtuleris ad Præfectum Prætorio ante tempora Constantini, quem nobis descripsit Aurelius Arcadius Charisius libro singulari de officio Præf. Prætor. qui si extaret, magis ac magis elucesceret discrimen inter illa, subsequutaque tempora, Sed quæres, annon contrariis luctentur frontibus Pandectes, & Codex, cum hic referat, quæ nequaquam tribui possunt Præfecto Prætorio descripto in illo ab Aurelio Arcadio Charisio Iurisconsulto? Reponere est, non pugnare, cum in Pandectæ tantum legantur, quæ conueniunt etiam Præfectis Prætorio Constantinianis, licet Codex plura subdat, quæ nequaquam facerent ad Præfectum Prætorio, qualem fuisse scimus ante Constantinum. Rursus sic ratiocinaberis: Pugnât mos Iustinianæus descriptus in Codice cum more antiquo descripto in Pandectis. Cur non asseremus Codicem quoque luctari cum Pandectæ? ego verò aio non bene colligere, qui sic colligit. Nam mos antiquus, ante Constantinum non totus

F est

82. DE IUSTINIANÆI SECVLI  
est enarratus, sed tantum in ea parte expo-  
situs, qua concinere poterat Iustinianæ  
Consuetudini. quod sic velim accipi de  
potestate Præfecti Prætorio, vt ad alia quo-  
que, de quibus in Codice, atque Pandectæ  
agitur, transferatur.

CAPUT XIX.

*Adhuc comparatur Præfectus Præto-  
rio antiquus cum Constanti-  
nianis.*

*Zosim. lib.  
2.*

ANTE Constantinum iam vnus, aliquan-  
do duo erant Præfecti Prætorio, qui of-  
ficium communiter gerebant, teste Zosi-  
mo, vt censeretur vnum tantum esse offi-  
cium. post Constantinum non poterant  
non esse quatuor, cum singillatim, & seor-  
sim præessent suo muneri. adde ante Con-  
stantinum potestate Præfecti Prætorio gu-  
bernari solitos palatinos ordines, eosque  
quibus custodia vrbis credita erat. hanc  
curam incubuisse Præfectis Prætorio Con-  
stantinianis par non est credere, cum non  
degerent in palatio Cæsareo, aut Romæ,  
vel Constantinopoli. refert etiam idem  
historicus limitaneas cohortes, quotquot  
erant, paruisse Præfecto. tempora Constan-  
tiniana si consulas, Præfectus iis militibus  
imperabat, qui in sua diœcesi tuebantur li-  
mites. neque enim Præfecto Prætorio per  
Galias, vt exemplo hoc vtar, vllum erat  
ius

ius in limitaneos milites Illyrici. subiicio  
 præeunte ibidem Zosimo, Præfectum Præ-  
 torio secundum seculum, quod antecessit  
 Constantinum, existimatum fuisse secun-  
 dum post imperatorem, quod pronuncia-  
 re nequaquam possumus de Præfectis Præ-  
 torio Constantinianis. Cum enim qua-  
 tuor essent, pari præditi dignitate, non po-  
 terat ullus dici primus ab Imperatore. Ut  
 non asseram Præfectos vrbi, Consules, pa-  
 tricios, qui aderant Imperatori forte au-  
 thoritate non cessisse Præfectis Prætorio,  
 qui Cæsaribus non erant præstò. Quid  
 iam memorem dum fidem habeo eidem  
 Zosimo, Præfectum Prætorio ante Con-  
 stantinum erogasse annonas, & contra mi-  
 litarem disciplinam admissa correxisse,  
 quod ad Constantinianos Præfectos Præ-  
 torio quis transtulerit?

## CAPUT XX.

*De sanctione Alexandri Imperatoris  
 relata ad Præfectos Prætorio Con-  
 stantinianos.*

CLarissimo exemplo hic ostendam mi-  
 serè impingere in exponendis legibus  
 eos, qui destituti omni cognitione histo-  
 riarum, & vetustatis Romanæ inuadunt  
 munus Iurisconsulti. Constat tempore  
 Alexandri Imperatoris non fuisse Præfe-  
 ctos Prætorii Orientis, & Illyrici, cum

84 DE IUSTINIANAEI SECVLI  
quatuor instituerit Constantinus, vt mil-  
lies dixerim ex Zosimi lib. 2. attamen in C.  
de offic. Praef. Praetor. Orient. & Illyr. pro-  
fertur constitutio Alexandri. An potuit  
sancire aliquid Alexander de iis, qui postea  
instituti sunt à Constantino? quis id dixe-  
rit, si sanæ sit mentis? respondemus, Alex-  
andrum sanciuisse de Praefecto Praetorio,  
qualis tunc fuit. Eam Constitutionem  
recitauit Tribonianus sub titulo de iis Prae-  
fectis, qui post Alexandrum initium suum  
debuere Constantino. nec mirum videri  
debet connexuisse compilatorem Alexan-  
dram constitutionem cum Honoriana, &  
aliisq; nam non minus illa, quam hæc facit  
ad officium Praefecti Praetorio, quale fuit  
ætate Honorii.

#### CAPUT XXI.

*Quot essent Praefecti Praetorio tempo-  
re Iustiniani?*

**N**Eminem clam est à Constantino insti-  
tutos quatuor Praefectos Praetorio, eis-  
que tributum regendum orbem, vt iam in  
prima parte Iustinianæi seculi moribus do-  
cui ex lib. 2. Zosimi. erat qui præerat Prae-  
torio per Gallias, & alius per Italiam. non  
hos duos reperire est in more seculi Iusti-  
nianæi. in Codice namque est rubrica de  
offic. Praefect. Praetor. Orientis, & Illyrici.  
subiicitur sequenti titulo constitutio de  
Prae-

Præfect. Prætor. Africæ, cui etiam tribuitur  
 diœcesis. vides abesse Præfectum Prætorio  
 per Gallias, & alterum per Italiam. immani  
 interuallo fateamur necesse est abire secu-  
 lum Iustinianæum à Constantiano, cum  
 non regatur Gallia à Præfecto Prætorio, cui  
 etiam parebat Hispania, Britania, quæ diœ-  
 cesis erat vna ex quatuor Imperii Romani  
 partibus. An verò Africa poterat esse ditio  
 Præfecti Prætorio cum Præfectus Prætorio  
 Italiæ haberet diœcesim complectentem  
 Italiam, Africamque? En angustias, ad quas  
 redactū erat Imperium tempore Iustiniani.  
 Nempe cum iam Galli se subduxissent Cæ-  
 saribus, Hispania occupata fuisset à Gothis,  
 turbata Britannia, lacerata Italia, non li-  
 cuit Triboniano de Præfectis eiusmodi a-  
 gere, quorum potestas in tenues abiuerat  
 auras. Vt cumque autem restituit splen-  
 dorem rei Romanæ, cum receptam Afri-  
 cam iussit esse diœcesin Præfecti Prætorio,  
 vt si quatuor non essent, saltē tres forent.

## CAPUT XXII.

*De Eunuchis ad dignitates promotis  
 seculo Iustiniano.*

**M**ORIBUS melioribus Romanorum re-  
 pellebantur Eunuchi à muneribus pu-  
 blicis. ff. de re milit. l. 4. discere est eum, qui  
 vnum testiculum habet, posse militare, vt  
 colligas Eunuchum, qui vtroque destitui-

§ 6 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
tur indignum fuisse militari munere. do-  
let Claudianus Eunuchos vidisse forum,  
vbi inuehitur in Eutropium, & fremit ei-  
dem delatum Consulatum. plura omitto.  
inclinatione rerum facta etiam summæ  
dignitates collate Eunuchis. Nonne Nar-  
ses sub Iustino rexit Italiam, duxitque ex-  
ercitus contra Gothos? Narrat Zonaras  
in Iustino Amantium Eunuchum, eun-  
demque præpositum, hominem poten-  
tem ambiuisse Imperium, conatumque  
largitione pecuniæ trahere milites in su-  
am sententiam opera Iustini. Sed frustra  
fuit. augebis Zonaræ narrationem iis,  
quæ scribit Luithprandus in Legatione ad  
Nicephorum Phocam: *Cumq; Constantino-  
polim venirem, Christophorus Patricius Eu-  
nuchus.* alia collegi in exercitatione de Eu-  
nuchis, quæ aliquando cum aliis, quæ Iu-  
risprudentiæ Romanæ lucem, ni fallor,  
conciliant, prodibit. interim disce more  
Iustinianæi sæculi non repulso à dignitati-  
bus Eunuchos.

### CAPIT XXIII.

*More triumphandi non destituta  
fuisse tempora Iustiniana.*

**N**ON desunt, qui nostra tempestate sic  
typhum premunt, vt omnem gloriæ  
cupiditatem ex animis hominum euellant.  
quod dici non potest quam sit exitiale vir-  
tuti.



tuti. nam quis virtutem laboris plenam sequatur, si præmia adimas? Pauci nimis sunt, si tamen aliqui sunt, qui per calcatos honores, ad virtutis tendant templum; Quò nos hæc ducit præfatio? dicis, qui hæc legis. ad Iustinianæi seculi morem, dignum vetustate Romana imò ex illa non aliunde haustum te deduco. splendidissimo namque triumpho militaria facinora Belisarii excipienda putavit Iustinianus. lege Zonaram in Annalibus. ne alios dicam. Nonne Christianus erat, nonne humilitatis memor Imperator? Nonne norat, quid regnum Catholicum deceret? furit quisquis hoc negat. Attamen voluit triumphare Belisarium. Cur in eiusmodi instituta, quibus Roma animos suorum civium ad rem fortiter gerendam excitabat inuehimur, declamamus? Deum testor nihil esse superbius illis hominibus, qui gloriam contemnere videntur. Me silente mores ipsorum ante oculos nostros quotidie positi, id docent. Volunt tamen videri humiles, utque videantur bacchico furore talia damnant. Ego illis iam nihil præter hæc verba occino: Cernite triumphum Belisarii Vandalicum.

## CAPUT XXIV.

*An more seculi Iustinianæi renunciarentur Doctores?*

**A**N Doctores renunciabat mos seculi  
F 4 Insti-

Iustinianæi eos, qui peregissent studia, magisteriumque iam docti exuissent? Nihil eiusmodi reperire est. nam id inuentum ad superiora secula referendum est, non ad prisca Iustinianæa. postquam, inquam, disciplinæ cœpere instaurari, trecentis ferè ab hinc annis, Doctorum quoque dignitas, & nomen emerfit collatum solemnimore. Eius instar tempore Iustiniani erat iudicium Ordinis, quo quis probabatur. C. de profess. & Med. l. 2. legimus consueuisse professores decreto ordinis probari, à quo etiam poterant reprobari. Nulli itaque licebat docere, Medicinam facere, & alia obire, nisi ab ordine Decurionum scilicet, vt idoneus fuisset approbatus. l. 7. eod. *Quisquis docere vult non temere proficiat ad hoc munus, sed iudicio ordinis probatus, decretum curialium mereatur, optimorum conspirante consensu.* Hæc Iulianus Imperator.

## CAPUT XXV.

*An singulare decretum tribueret immunitatem professoribus?*

**V**T Professor posset docere, imò vt quis foret professor, opus fuisse decreto ordinis iam dixi ex C. de profess. l. 2. &c. vt quis etiam haberet immunitatem, itidem indigebat decreto Decurionum l. 5. eod. vbi exoritur quæstio, vt nouerimus, an eodem decreto

decreto & quis referretur inter professores  
 vt posset docere, munusque suum exerce-  
 re, & simul acciperet ius immunitatis?  
 Vix soluunt nodum leges, quæ continen-  
 tur sub titulo de profess. Nisi tamen ma-  
 ximè fallor, puto sigillatim tribui debuisse  
 immunitatem. Videntur enim fuisse ali-  
 qui professores, qui tamen immunes non  
 erant. colligo id ex l. 5. C. de profess. vbi fit  
 mentio *ordinis Medicorum prestituti*. Non  
 enim nisi certo, exiguoque numero fas e-  
 rat largiri immunitatem. Ergo qui extra  
 numerum illum erant, licet professorum  
 exercerent munus, immunes non erant.  
 in re dubia lubens aliorum audirem sen-  
 tentiam.

## CAPUT XXVI.

*An Christiani tempore Iustiniani  
 docerent Philosophiam in scholis?*

ET Philosophi habebant immunitatem  
 C. de professor. l. 8. licet enim aliquos  
 repellat Imperator, excipit tamen eos, qui  
 a probatissimis approbati sunt. accedit l. vlt.  
 eod. Cum verò Imperatores isti Christiani  
 sint, qui hoc sanciant, quærere est, num  
 loquantur de Philosophis gentilibus an  
 Christianis? vtrinque premimur. Certum  
 est temporibus Valentiniani, atque Hono-  
 rii gentiles plurimos adhuc fuisse. apud  
 Symachum etiam in Epistolis fit mentio,

90 DE IUSTINIANAEI SECVLI  
ni fallor, Philosophorum non Christiano-  
rum. ipse Symmachus quamuis Gentilis  
Præfectus vrbi fuit. Cur non licuisset ali-  
quibus docere Philosophiam prisco more?  
Christianos sanè veteres non legimus vn-  
quam palam, & in scholis Philosophiam  
enarrasse, cum eam potius auerfarentur.  
quæ faciunt, vt putem Cæsares de Philoso-  
phis gentilibus edixisse. Nonne Libanius  
Sophista, & Rhetor sub Christianis Impe-  
ratoribus eloquentiæ est velificatus quam-  
uis addictus cultui Deorum? is absque du-  
bio immunitatem habebat, quidni illa ipsa  
Philosophis quamuis non Christianis tri-  
buta fuisset? An verò tales docerent tem-  
pore Iustiniani, non possum ex animi dice-  
re sententia. in affirmantem eas si cogites  
Tribonianum noluisse colligere superua-  
caneas leges. at Iustinianus persecutus est  
Gentiles, cur eorum Philosophos iussisset  
esse immunes? ostendi verò ab aliquo ve-  
lim Philosophiam palam à Christianis  
tempore Iustiniani, aut etiam antea vn-  
quam traditam. Sed hac de re alibi plus  
satis.

#### CAPUT XXVII.

*Perpenduntur nonnulla, quæ viden-  
tur refellere precedentem  
sententiam.*

**A**Duersus id, quod dixi, non videri vn-  
quam

quam apud Veteres Christianos, Philosophiæ arcana in scholis palam enarrata, ob-  
 iicere est S. Iustinum Philosophum non  
 pauca exarasse etiam postquam ad Chri-  
 stianam se contulit religionem. addere est  
 Iohannem Grammaticum cognomento  
 Philoponum, qui commentarios archite-  
 ctatus est in Aristotelem. C. de profess.  
 l. II. inquit Honorius Christianus Impera-  
 tor oportere *Præceptores Philosophiæ* frui  
 immunitate. Credibile non est Cæsarem  
 Christianum tribuisse prærogatiuam Gen-  
 tilis Philosophiæ Doctoribus. nec omitto  
 Theodosium & Valentinianum C. de stud.  
 liberal. vrbis l. vnic. iubere, adiungi publi-  
 cis professoribus vnum, qui *Philosophiæ ar-*  
*cana rimetur.* Vix quisquam sibi persua-  
 serit præcipere voluisse Imperatores Chri-  
 stianos, vt Philosophus Gentilis in Capito-  
 lio interpretaretur dogmata Gentilium  
 Philosophorum discipulis Christianis. hoc  
 enim fuisset recoquere crambem veteris  
 superstitionis. His argumentis fateor in-  
 esse robur non exiguum. non tamen ex-  
 pugnatur adhuc animus meus. Nam Iu-  
 stini opera, qui inspicit, nouit eum idem  
 transiisse ad Ecclesiam, quod nihil cer-  
 tum in Platonis schola deprehenderet. Ab-  
 stinuit igitur deinceps à Platone cæteris-  
 que operam impendens diuinis litteris.  
 nam quæ exarauit, ea ad confutanda do-  
 gmata

22 DE IUSTINIANÆI SECVLI  
gmata Philosophorum faciunt. Gramma-  
ticus autem dictus Philoponus priuatim se  
exercuit scribendo. Nusquam verò reperi-  
es eum palam in schola docuisse. apud Sui-  
dam hæc tantum leguntur: *Iohannes Gram-  
maticus Alexandrinus, cognomento Philoponus  
plurima scripsit, ab Ecclesiæ Doctoribus, vt Tri-  
theites reiicitur.* An permisissent Christia-  
ni in Schola docere Tritheitem? Nec Boe-  
tius professor fuit, publicusque Doctor  
Philosophici curriculum, licet nobis ingenii  
sui reliquerit monumenta. Ad leges, quæ  
proferuntur ex Codice non hærebis, si co-  
gites tempore illorum Imperatorum Gen-  
tiles non fuisse proscriptos, cum magna  
pars mortalium adhuc veterem sectaretur  
superstitionem. promiscuè igitur & ipsi  
publicis admouebantur muneribus. vt  
verba Imperatorum de Philosophis Genti-  
libus possis accipere. hæc ita disputata sint,  
vt si quis certiora me doceat, ei sim gratias  
acturus reiecta propria opinione.

#### CAPUT XXIIIX.

*Quando cæperint Iurisconsulti disci-  
pulis interpretari leges? quando tribu-  
tum eis stipendium publicumq;  
auditorium?*

**M**ore Iustinianæi seculi consueuisse in  
scholis palam docere Iurisconsultos  
Iurisprudentiam dubitare non potest qui  
legit

legit l. vn. C. de liberal. stud. vrb. postquam enim Imperator locutus est de publico auditorio, subiicit: *volumus adiungi duos, qui iuris ac legum voluntates pandant.* vt nomine professorum, & doctorum legum C. de profess. l. 6. non intelligendi sint tantum illi, qui respondent de iure, vt aliquis existimauit, sed qui leges discipulis in schola inque publico enarrat auditorio. Quando hic mos initium habuerit non est facile dicere. de Sabino, qui vixit temporibus Tiberii Cæsaris, scribit Pomponius ff. de orig. Iur. l. 2. §. 47. eum à *suis auditoribus sustentatum fuisse.* Successionem autem talium, qui auditores videntur habuisse, non prætermittit ibidem Pomponius, quam deducit vsque ad Saluium Iulianum. hos docuisse leges, & interpretatos iura, & non tantum respondisse de iure consulentibus quis neget, si nolit obstrepere Pomponio? sed eo ferè modo docuisse existimandi sunt, vt docebant alii absque publico stipendio. legimus enim Quintilianum primum publico stipendio docuisse Rhetoricen Romæ. Quis porro primus docentibus iura ex arario largitus fuerit mercedem, dicere non habeo. dicat qui potest. forte Constantinus dedit principium mori, de quo agimus. C. de profess. & Med. l. 6. nam post memoratos etiam legum Doctores, subdit: *Mercedes etiam eis, & salaria reddi*



*reddi iubemus, quò faciliùs liberalibus studiis, & memoratis artibus multos instituunt. Queritaberis quoque quis tribuerit publicum auditorium? nam qui olim docebant iuvenes priuata industria, priuataque auditorum mercede, in propria domo procul dubio alloquebantur discipulos: Tandem placuit Cæsaribus legum Doctoribus dare Auditorium publicum Romæ scilicet Capitolium l. vnic. C. de stud. liberal. de loco, quem haberent Constantinopoli nihil narratur, cum tamen rubrica præferat studia Romæ, & Constantinopolis. Disce iam vices rerum, nam olim in priuatis ædibus quisque pro lubitu docebat. postquam autem fores publici auditorii apertæ sunt, eò videtur direxisse suam Constitutionem Imperator, vt publicis Magistris tantum opera daretur. relegel. vnic, C. de stud. liberal.*

## CAPUT XXIX.

*Vsum seculi Iustinianæi reiecisse commentarios in leges. querela de immensis voluminibus nostræ ætatis.*

**C** De stud. lib. vrb. l. vn. iubentur duo professores iuris legum voluntates pandere. Cum tamen C. de vet. iur. e-nuc. l. 2. §. hoc autem, non liceat nisi paratitla componere, quæ nihil aliud sunt, quam breues quædam notæ eorum locorum, quæ vel similitudinem aliquam, vel



vel repugnantiam præ se ferre videntur, dicta quasi tituli cum titulo collatio, id quod veteres obseruasse, antequam Bartolus exoriretur, satis superque testantur adhuc vetusti libri talibus insigniti notis. Nonne peccandum erat in sanctionem Iustinianæ professoribus Iuris prudentiæ, qui leges interpretabantur Romæ, Constantinopoli, Alexandria, Beryti, ut fungerentur suo munere? puto posse nos respondere; licuisse Doctoribus oretenus multa explicare, differereque, ut tamen nihil mandaretur literarum monumentis, aut traderetur auditoribus exprimendum, vel cum librariis communicaretur. Certè res ipsa docet nihil ab ipsis manasse, quod quidem esset instar iusti commentarii. Vide Basilica, inspice Harmenopulum, lege Nomocanonem Photii, & id genus librorum. Superiori autem nostraque tempestate ut amarunt amantque peccare in Iustinianum, qui Iustinianum semper in ore habent, qui auspice Iustiniano rem faciunt. Replent officinas Bibliopolarum immanibus voluminibus, quibus gerendis opus est gerulorum humeris latis robustisque. An vos, qui tanti facere vultis videri Cæsarea iussa, Cæsarei iniussi immemores prolixis, milliesque repetitis disputationibus inuoluitis Pandecten, Codicem, calamitosos profectò ob tot, à quibus lace-

rati-

tantur, rapiuntur in varias partes, interpretes. Scio quid mihi reponant nostrates Iurisperiti, alios esse mores nostros à Iustinianæis. Nec ego eis pergo esse molestus. Norint tantum, quid grauiſſimis verbis ingerat Imperator l. 2. §. hoc autem C. de vet. Iur. enucleand.

## CAPUT XXX.

*An olim & quidem tempore Iustiniano Medici in scholis traderent præcepta suæ artis?*

**C** Dum quis legit agente de profess. & Medicis, & de studiis liberalibus, cogitur ambigere, An professorum nomine veniant, qui Medicinam faciunt, pergitq; quærere, An olim in scholis præcepta traderentur Medicinæ studiosis adolescentibus? quod forte affirmabit, dum videt cum professoribus coniungi Medicos in rubrica, de professor. & Medic. cur iubentur immunes esse, nisi quia docent? hoc enim de professoribus effertur. dico tamen, non apparere Medicos docuisse in scholis. nam cur sigillatim ponuntur Medici seiuncti à professoribus, nisi vt intelligeremus eos professorio non fungi manere? Illud est magnificandum, quod reperitur l. vnic. C. de stud. liber. postquam enim Imperator tribuit ad docendum in Auditorio Capitolino, Grammaticos, Rhetoresque, sub-

iicit:

iicit: *profundioris quoque scientia atque doctrina memoratis magistris sociamus auctores*, loquiturque statim de vno philosopho, deque duobus Iurisconsultis, de Medicis autem silet, vt nouerimus inter publicos professores, qui palam docebant iuuentutem, nequaquam tunc recensitos Medicos. immunes tamen ipsi erant, cum prodesse mortalibus in depellendis morbis C. de profefs. & Med. l. i. Obiiciet quis l. 6. eod. vbi postquam locutus est Imperator non minus de medicis, quam aliis doctoribus subiicit: *Mercedes etiam eis & salaria reddere iubemus, quò facilius liberalibus studiis, & memoratis artibus multos instituunt.* Annon his verbis tribuuntur stipendia Medicis, qua sua arte alios instituunt? Et qui potuissent tunc homines Medicinam facere, nisi imbuti prius fuissent præceptis. Occurrere his possum, si dicam verba prolata referri ad professores, de quibus egerat. Aliunde autem non didicimus professores vocari Medicos, eisque stipendia tribui, vt doceant iuuenes. loquor de antiquis temporibus, deque seculi Iustinianæi moribus. Immunes ergò Medicos in ea lege iubet esse, cum vtilis sint reipublicæ faciendo Medicinam. Professoribus autem amplius largitur stipendia, quia iuuenes instituunt. si porrò scire cupias, qua ratione auderent medicas adhibere manus morbis illi, qui

li, qui non audiuerant in scholis docentem præceptorem, respondere est, iuuenes imbutos præceptis philosophiæ adhæsisse alicui Medico, & vsu faciliè assecutos artem, cum etiam priuatim legerent libros de Medica conscriptos arte. sic euasit Medicus ipse Galenus, quem non legi in schola audiuisse docentem arcana Medicæ rei. Superiori autem seculo, cum Academiae instituerentur, quas Vniuersitates appellarunt, placuit Principibus atque Rebus publicis professorium munus ipsis quoque Medicis imponere.

## CAPUT XXXI.

*An græcè possent sententiam dicere  
Prætores?*

**F**erebat nem os Seculi Iustinianæi, vt aliam quam latina lingua decreta à Prætoribus proferrentur? Pro sola latina stat l. 48. decreta ff. de re iudicata. pro græca cum latina cõiungenda facit Constitutio Honor. & Arcadii C. de sent. & interloc. l. 12. Aiunt enim Cæsares, tam latina quam græca lingua sententias proferre posse iudices. Quis litè inter Tryphonini verba, & Honorii cõstitutionem dirimat? Nonne contraria retulit in leges Tribonianus, puto Compilatorem non omisisse verba Iurisconsulti, quæ docent, qua lingua proferrentur tunc decreta, quando sedes Imperii nondum geminata

nata

nata fuerat à græco inter græcos, solus tunc  
 vigeat sermo latinus, quod Imperatores  
 latini latinitati, latinæque maiestati consu-  
 lerent, postquam itum Byzantium ausa est  
 græca cum latina certare locutio. Certè  
 composita est ob geminam Imperii sedem.  
 Quis enim miretur sancire Honorium, &  
 Arcadium, vt tam græcè quam latinè pro-  
 ferantur sententiæ, cum ille pro Occiden-  
 te latino, hic Oriente græco faceret, atque  
 loqueretur? Hinc didicimus aliquas con-  
 stitutiones etiam ante Iustinianum editas  
 græcè, quod nos ignorare non sinit Ant.  
 Contiùs, qui eas suo Codici inseruit per-  
 quam diligenter. Quis porrò primus Im-  
 perator constitutionem ediderit, iam dice-  
 re non possum. Coniunctum autem fuisse  
 se vtrumque sermonem docet nos exem-  
 plum Marciani Imperatoris, qui in Conci-  
 lio Chalcedonensi græcè, latineque coram  
 patribus orauit, vt est videre in Actione  
 VI.

## CAPUT XXXII.

*De usu Iustiniano præferente mulie-  
 lierem in dote omnibus creditori-  
 bus anterioribus.*

**O**Mnem lapidem mouit Iustinianus, qui  
 erat vxorius, cupiebatque Theodoræ  
 Augustæ rem gratam facere, vt commoda  
 mulierum promoueret. Non sinit nos de

hac re dubitare l. assiduis C. qui potiores in pignor. in qua sancit mulierem esse antefereendam in dote omnibus priuilegiatis, anterioribusque creditoribus mariti. cui sanctioni non ambigunt aliqui inesse iniquitatem. An enim qui contrahit cum aliquo, postque diligentem disquisitionem videt posse ei tutò credi, repellatur à muliere, quæ post ipsum marito dotem tradit? sed nolo videri obstrepere iubenti Imperatori, tantum refero, quid nonnulli meditentur, dum legunt Instit. de Action. §. bonæ fidei & l. assiduis C. qui potior. in pignor. adhuc autem sub iudice dicitur esse lis, an intelligenda sit lex de habentibus tacitam, an expressam hypothecam, vt notat post alios Broæus ad Instit. de Act. §. bonæ fidei. Corasius sane testatur se semper procliuiorem in ea sententia, quæ ait à Iustiniano præponi mulierem etiam expressis aliorum hypothecis. nam proferri tacitis nemo ambigit. Meum verò non est argumenta ipsius in hac breuitate depromere, atque expendere. legat ipse, cui lubet, tom. 2. oper. p. 413.

*Comment.  
in tit. in-  
stit. de act.  
§. fuerat.*

## CAPUT XXXIII.

*Seculum Iustinianæum non fuisse constans in puniendis adulteris. Cur minuta pœna in mulieribus?*

**Q**ua pœna animaduvertebat in adulteros

MORIBUS. PART. II. CAP. XXXIII. 100  
ros seculum Iustinianæum? cum Codex  
componeretur, gladius eos plectebat C. ad  
leg. Iul. de adult. l. 30. Nec quicquam ex  
Pandectis dicas de deportatione. ff. l. 5. de  
quæst. nam ibi incestus cum adulterio  
coniungitur, vide meas exposit Iurid. lib. 2.  
cap. 8. & expecta in libro, quem paro, de  
differentia legum Mosaicarum, & Roma-  
narum. sed tempora Iustinianæa non fue-  
re constantia in eiusmodi usu, nam fœmi-  
nis etiam nouella constitutione remissa  
est, statuente, vt virgis cæsæ in monasteri-  
um abdantur, nisi maritus intra biennium  
recipere velit. Authent. sed hodie C. ad leg.  
Iul. de adult. Non est quod mirentur non-  
nulli, diminutam fuisse in mulieribus hanc  
pœnam, cum & in hoc sexu eo seuerior  
esse debuerit, quo hoc delictum in illo tur-  
pius est. l. 1. §. consequens de susp. tut. l. 2. C.  
de his qui ven. æt. cap. 1. in princip. de stat.  
reg. lib. 6. vide latè Tiraquell. in ll. Connub.  
leg. 9. num. 132. 133. cum seqq. atque fre-  
quentius l. aut facta 16. §. fin. de pœn. DD.  
in l. auxil. de minor. non est, inquam, quod  
mirentur, cum tot legibus latis conatus sit  
Iustinianus sequioris sexus conditionem  
reddere meliorem, vt discere est ex l. pe-  
nult. C. de legit. hered. instit. de actionib. §.  
bonæ fidei, aliisque. Quis verò defendet  
Iustinianum plectentem adulterium in vi-  
ris gladio, in fœminis fustigatione? Si di-

minuere placebat supplicium, cur non minutum fuit etiam in viris? suppetit responsum; Tribonianum cupientem placere Theodoræ sic flexisse stylum, sic turbasse Iurisprudentiam. vnum obiter hic explicare lubet in gratiam eorum, qui successioni temporum putant nos debere velificari, dum legibus nauamus operam: cur nempe dixerit Imperator §. item lex Iulia instit. de public. iudic. legem Iuliam temeratores alienarum nuptiarum gladio punire, cum tamen nusquam legere sit, Augustum conditorem legis gladio animaduertisse in adulteros. responsum facile est, cum legis Iuliæ nomine intelligatur quicquid illi additum est à Cæsaribus etiam post Augustæa tempora.

## CAPUT XXXIV.

*Usus seculi Iustinianei non consuluisse maribus in successione. Dimittitur Lector ad exercitationem de ea re in fine libri.*

**E**T si Iustinianus Instit. de legit. agnat. success. & l. penult. C. de legit. hæ. conetur in suam sententiam trahere XII. tabulas, quasi in illis fœminæ exæquatæ fuerint maribus in successione, non desunt tamen viri eruditi, qui dicant inter agnatos non fuisse admittas, cum lex dicat *proximus agnatus hæres esto.* sed quicquid de



de hac sit opinione, non videtur consuluisse ciuili societati Imperator, dum censuit eas admitti debere non minus, quam mares. At, inquit, l. penult. C. de leg. hær. mas indiget fœmina, vt genus humanum sit immortale. hæc argumentatio fœminea profectò est, & imbecillis. An enim statim res illa, qua indigemus, nobis exaranda est in honoribus, atque commodis? indiget, fateor, mas fœmina de prole sufficiens quando agitur, sed quam latè patet virilis præstantia, virilis occupatio? quis patria iura tuetur aduersus hostes, quis nauigat vt adferat merces, quis colit agros, vt suppetant alimenta, quis ædes construit, vt tuti simus aduersus iniurias aëris, atque ferarum? Mares hæc obeunt, vt nequaquam ipsis fœminæ comparari queant, magno interuallo infrà collocandæ. Non hic declamo, ne excreseat liber, hoc tibi narro lector, non ita pridem exarasse me exercitationem non expertem, vt puto, diligentia, quam hic cum nequeam inferere, ipsa tamen valde faciat ad morem vsunque seculi Iustinianæi, lubuit totam edere: sed seorsim, in calce nempe huius opusculi. tu ne despice laborem qualemcumque nostræ materiæ affinem.

## CAPUT XXXV.

*An Circenses ludi inter mores seculi  
Iustiniani sint recensendi?*

**F**actiones Prasina, & Veneta mota seditione in præsens periculum dederunt Imperium, imò & vitam Iustiniani Imperatoris, vt non ambigamus ludos Circenses tunc in vsu fuisse. Inspiciatur Zonaras, adde l. 8. C. de repud. §. 3. qua licet marito reiicere vxorem, quæ se vel inscio, vel prohibente, interfuerit ludis Circensibus. si namque sub Iustiniano sublatis erant eiusmodi ludi, cur inter causas repudii illam quoque recensuisset Tribonianus ex Constitutione Theodosii? compone cum his Anecdota Procopii. Si regeras hunc ipsum Procopium testari, ludos Circenses euersos à Iustiniano, non sine maximo plurimorū hominum, qui sic vitam tolerabant, detrimento, respondebo; videri Iustinianum post seditionem illam non permisisse amplius edi ludos in Circo, ne forte noui motus exorirentur, vt id non sit tribuendum auaritiæ Iustinianæ cum Procopio, sed potius odio, quo auctores seditionis prosequeretur. Constat porrò post Iustinianum eosdem ludos repetitos Constantino- poli: nam non vno loco in Annalibus Zonaras eorum meminit etiam Iustiniano vita functo.

CA.

## CAPUT XXXVI.

*An ludi Circenses cum Idololatria  
essent coniuncti?*

**D**E Idololatria luculentum Commentarium Tertulliani quicumque inspicit, non dubitat pronunciare Circum, Circensesque ludos multiplici expositos fuisse Idololatriæ, quod alibi non indiligenter ostendo. Quid enim ibi erat, quod cultum Numinum, quæ adorabantur à prisca superstitione, non complecteretur? A limine qui salutarunt Scriptores, de Circo id exploratum cognitissimumque habent. Cur tamen frequentatum Circum nouimus etiam sub Cæsaribus Christianis? Cur ipse Constantinus noluit suæ Vrbi Regiæ Circum deesse? Respondere est, retentos ludos, ea ratione, vt Idololatriæ labes non obesset. Annon enim possunt agitari quadrigæ, circummagi equi circa metam, absque eo quod cultu ficta Numina proficeretur Christiana gens? Dicere Iustinianum, si fides habenda Procopio in Anecdosis, ideo noluisse deinceps edi ludos Circenses, quod Circus Idololatriam oleret. sed ne hoc dicam facit sequentium Cæsarum, sub quibus editi sunt, auctoritas. Neque enim Christiani Imperatores repetiuisent id, quod Idololatriæ causa fuisset iam pridem antiquitatum.

*An Iustinianus in Crucem egerit  
Iudæum parricidam?*

*Niceph.  
lib. vi. ca  
25.*

**C**VM iam peruulgatum sit, à Constanti-  
no lege lata sublatum fuisse supplici-  
um Crucis in honorem Seruatoris, mirari  
subit cur Iustinianus Iudæum quendam,  
qui filium in fornacem coniecerat, atque  
interemerat, in Crucem egerit. non vide-  
batur reuocandum in usum supplicium,  
quod iampridem ex orbe Romano fuerat  
profligatum. Respondere est, id extra or-  
dinem factum iussu Iustiniani, vt scelus in-  
gens Iudæi plecteretur noua ratione. An  
forte dicere est, confixum clauis arbori fi-  
cui iussu Cæsareo parricidam, vt aliquan-  
diu semianimis penderet à ligno. Qui au-  
tem arbori adminiculo clauorum affigitur  
nescio an dicatur Crucis subire pœnam,  
cum crux aliquot lignis compactis pare-  
tur. forte etiam dixeris, Iudæum strangu-  
latum pependisse ex arbore, & hoc græcè  
dixisse Nicephorum: ἀνεσκολόπισε. sed mi-  
hi secunda arridet expositio. Nouum por-  
rò non est, vt in iis, quæ affinitatem ali-  
quam habent etiam vocabula commisce-  
antur, & ab vno in proximum transferan-  
tur significatum.

CAS

## CAPUT XXXIIX.

*Morem parandi vellera serica in Imperio Romano acceptum ferendum temporibus Iustinianæis.*

**N**E putes sericam telam ignotam fuisse mortalibus ante Iustiniani tempora. imò notam fuisse tot testimonia veterum testantur, quæ congerere hîc superuacaneum. Illud erat ignotum, qua ratione provenirent vellera. putabant namque depecti ex arboribus eorum lanuginem, tandem didicere mortales à bombycibus neri. inualuit itaque mos tempore Iustiniani, ut vermes, siue bombyces fouerentur, indeque vellera serica pararentur. En Zonæ narrationem. *Iustiniani temporibus tela serica à Romanis texti cœpit, quæ prius à Persicis Mercatoribus tantum afferebatur, cum ignorarent, quomodo fieret, neque scirent fila esse vermium. vides falsò putasse depecti tanquam lanuginem ex arboribus, pergit Annalium conditor: Duo Monachi ex India Byzantium profecti originem illius declararunt, polliciti se fœtum illorum vermium, ova nimirum perexigua allaturos, & ostensuros Romanis. Vide quæ sequuntur. tandem subdit: Ex eo igitur Romani cognouere, quo pacto sericum conficiatur. Ita mos, qui hodieque quæstuosus est Europæis, quo-*

108 DE IUSTINIAN. SEC. MORIB.  
quoque parantur vellera serica domi, ne ex  
remotissimis Indorum finibus petantur,  
initium suum imputat tempori,  
imò diligentiae Iusti-  
nianaë.



PAGA-

PAGANINI GAV-  
DENTII I.C.

DE

LEGE, QVAE  
FOEMINAS à SVC-  
CESSIONE RE-  
PELLIT,

EXERCITATIO.

## LECTORI S.

**T**ot leges longè lateq; per Europam lata iam pridem sic consuluerunt maribus in successione, repulsis fœminis, vt sanctio Iustiniana prater morem Romanum exaquans virili muliebrem sexum iam semianimis langueat, iaceat, viribus, & vita ipsa ferè destituta. Eam tamen aliqui nostra tempestate ad auras reuocare satagunt fœmineæ placituri auiditati. At frustra brachia dirigunt aduersus torrentem gentium, quæ tantam familiarum habent rationem, vt non solum mulieres à successione reiiciant, sed ipsis primigeniis inter mares maxima largitæ sint munera. Tantum amant velificari perennitati, splendoriq; conspicuarum domuum. Non igitur miraris, lector, si & ego non ferens impeti præclara nationum instituta occurro eis, qui Iustinianæum ius commune elata voce toties nobis commendant. ostendo autem, nisi me fallit ratio, Tribonianæum placitum nixam olim Cæsareo fastigio dum it per auia, negligitq; semitam diuinam, Romanam, abire etiam à more, perquam frequenti nostrorum temporum, hominumq;. Et si porro mihi videar non destitui adminiculo, quod suppetit à consensu populorum, non tamen obstinatus sic obduro in sententia, vt non sim victas daturus manus ei, qui meliora impartiri voluerit, potuerit.





## CAPUT I.

*Deum apud Mosem, aut exclusisse fœ-  
minas à successione, aut eas non  
æquiparasse maribus.*

**P**Ræ maribus contempsit lex di-  
uina Veteris Testamenti fœminas,  
quando de familiis conseruandis,  
deque successione instituitur sermo. id  
non vno est ostendere modo. nam iussit  
Mosi Deus Num. 3. v. 15. Filios Leui nume-  
rare, fœminarum non habita ratione, et-  
iam si primò forent natæ. Nec priuilegia  
primigeniorum fœmineo conueniebant  
sexui, vt annotatur à Lorino interprete  
ibidem. in Exodo quoque exprimitur, vt  
quicquid masculini esset sexus, Domino  
sanctificaretur. sic non redimebantur fœ-  
minæ sequioris sexus causa. Hinc quis  
non videt à Numine, de numerandis, as-  
serendisq; familiis vbi agitur, nequaquam  
muliebri genus æquiparari masculeo. An  
nos æquale reddemus, supraque Diuinum  
iussum sapiemus, vt Tribonianæ aut leui-  
tati aut auiditati morem geramus? sed cla-  
tiora sunt Dei verba Num. 27. vbi ratio suc-  
cessionis exponitur singillatim: *Homo cum  
mortuus fuerit absq; filio, ad filiam eius trans-  
ibit*

abit hereditas, si filiam non habuerit, habebit successores fratres suos. quod si & fratres non fuerint, dabitur hereditatem fratribus patris eius, sin autem nec patruos habuerit, dabitur hereditas his, qui ei sunt. dices, nos lege Mosis non obstringi, vt frustra ex veteri testamento hæc repetantur. Respondere est, Canonum interpretes tertio quoque verbo vti testimonio prisca fœderis, cur nobis non licet eos imitari? Etsi verò Mosaico non simus obnoxii iuri, ipsum tamen insigne præbet exemplum, quod reprehendi par non erat à Triboniano. Certè si Deus sanxit legem fœminas à successione excludentem, fas non erit ipsam non piam, aut iniquam, aut naturæ non consentaneam appellare, cum nihil quod cum iniquitate coniunctum est, auctorem possit habere Deum.

## CAPUT II.

*Legem Mosaicam de successione semper obseruatam à Iudæis.*

**L**egem porro, quam protulimus, sic sancit Deus, vt iusserit esse perpetuam, vt discere est ex verbis illis Num. 25. Hocq; erit filius Israël sanctum lege perpetua, sicut præcipit Dominus Moysi. En tibi diuturnitatem, & vetustatem legis in successione nequaquam exæquantis fœminas maribus. nam quid antiquius scriptore Mose?  
quam

quam diu etiam stetit respublica regnumque Hebræorum, à quo licet exciderint, non tamen desiere metiri successiones suas ex illa sanctione. nam Romani permiserunt, vt suis viuerent institutis, quod non denegarunt iuris Canonici Conditores, vt fatetur Tiraquellus de iure primigen. quaestion. num. 2. & seqq. Hinc non infirmus nixus coniectura puto, Iustinianum cum l. penult. C. de legit. hæred. æquipararet maribus fœminas in successione, nequaquam obstrinxisse Iudæos. Cur enim eis fibulam imposuisset, turbassetque rationem successionum traditam à Mose, si sub Imperio Romano Iudaico generi semper licuit propriis niti institutis? vt non immeritò idem Tiraquellus ibidem existimet, inter Iudæos legem depromptam ex lib. Numer. cap. 27. nequaquam negligendam, quando parentibus obeuntibus, aut aliis est succedendum.

CAPUT III.

*Agitur de lege Voconia apud Romanos spernente fœminas in successione.*

**Q**uibus sordent Iudaica, quique vociferantur non repelli nos debere à sole ad umbras, à splendore ad latebras, arrigant aures, audiantque quid sancitum ab iis, qui tandem omnes Prouincias in suam redigere potestatem felicibus vsi auspiciis. de

H Re.

Romanis loquor, inter quorum leges eminet atque splendescit adhuc Voconia, quæ nequaquam patiebatur ad mulieres transferri hereditates. de ea loquuntur veteres, Cicero, Gellius, Dion, egitque accuratè Ant. Augustinus vir eruditissimus in lib. de legibus. dicta autem est Voconia à Voconio tribuno pleb. qui effecit, vt rogaretur, quod contigit à Roma condita anno 584. Philippo & Cæpione Coss. consulatum horum incidere in eum annum licet videre apud fastos Consulares editos ab Anton. Contio, eximio Iurisconsulto. Ne quis porro miretur à Voconio tribuno pleb. latam, nam & plebis interest familiarum iura non minui, cum præsertim Romæ etiam plebeix domus nobilitate niterent. Est porro Voconia magnificianda cum sua so-rem habuerit Marcum Catonem teste Gellio lib. 17. qui ex oratione Catoniana aliqua recitat verba. Quis autem credat potuisse Catonem aliquid suadere, quod iniustum, iniquumque foret? ipse de se refert, se Cæpione & Philippo Coss. annos quinque & sexaginta natum Voconiam legem magna voce, bonis lateribus suasisse. Quamuis autem Imperator instit. de legit. agnator. success. & l. penult. C. de legit. hæ. nominatim. mentionem non faciat Voconix, dum tamen ait, mediam Iurisprudentiam repulisse foeminas à successione agnatorum,

*Cic. in Catone.*

*Instit. de Legit. agnator. Success. S. cæterum.*

torum absque dubio respicit Voconiam, qua nixa est schola Iurisperitorum negligens fœmineum sexum in successibus. non sinit nos de hac re dubitare Paulus lib. 4. sent. cap. 8. inquit enim: *Fœminæ ad legitimas hereditates ultra consanguineas successiones non admittuntur. idq; iure Civili Voconia rogatione videtur effectum.* hæc Paulus. Adeò autem hæsit animis Romanorum hæc rogatio, vt non potuerit ne cum ipso ruere imperio, cum satis constet ante Iustiniani tempora rem Romanam miserandum in modum laceratam, conuulsam, deiectam. stetit tamen lex Voconia non ab alio quam Iustiniano sublata. non deest, qui ipsum Thracem appellat, & fortè meritò, si potuit legem adeò sanctam, totque seculorum firmatam robore euertere.

CAPUT IV.

*Existimasse Origenem legem repellentem fœminas à successione nunquam antiquandam.*

**N**Unquam putasset Origenes, vir magnus fore tempus, quando lex excludens fœminas à successione antiquaretur ab Imperatore, & quidem Christiano. scribit enim homil. 22. in Numeros: *Deum æterna hominibus iura constituere, & seculis omnibus obseruanda, atq; custodienda, quod*

*& faciunt, qui legibus viuunt, nec possit quis leges istas dissoluere, quibus vniuersus vtitur mundus.* Ne dicas cum Lorino per hyperbolem hæc exarata fuisse. nam cum videret Origenes orbem Romanum, imò vniuersum excludere fœminas à successione, animaduerteteretque ius Romuleum hac in parte amicè conspirare cum Iudaico, sciret etiam ex arcanis religionis christianæ ruente Imperio Romanorum, etiam quamprimum imponendum finem huic seculo, mirum non est, si pronunciauit semper deinceps excludendas fœminas à successione. profectò si quis Origeni dixisset, aliquando Imperatorem Christianum euersurum tale iussum, fidem non habens dicenti clamasset, se audire recitantem ægroti veteris somnia, sed quid non labentia immutant, inuertuntque secula? Instare credebant tunc pii viri decretoriam, nouissimamque diem. de Cæsaribus aliquando amplexuris veritatem sanctitatemque Religionis Christianæ nihil eis veniebat in mentem. Res tamen ipsa docuit, contra quam putabat Origenes, Iustinianum sustulisse legem, qua tunc vniuersus utebatur mundus, repellebatque à successione fœminarum imbecille genus.

## CAPUT V.

*De Salica submouente feminas.*

**A**Nte tempora Iustiniani Franci sub Pharamundo Galliam inuaserunt, regnumque ibi depulsis Romanis condiderunt. ipsi dicti etiam Sali à fluuio Turingiæ Sala, vnde sunt profecti. hinc lex Salica quam nemo ignorat, nisi qui quid sit Francorum Regnum nescit. Ea sic fauit maribus, vt sequiorem sexum in successione planè submoueret, nam ne putes Salicam tantum de regia serie, atque familia egisse, profero eius verba ex tit. 82. *De terra verò Salica nulla in mulieris hereditatem transeat portio, sed virilis sexus totam terram proprietatis suæ possideat.* vides latissimè patuisse eius pomeria, ne porro dubites de verbis à me depromptis, facit fides eruditissimi viri Hieronymi Bignonii, qui ait ex Ms. Reg. à se fuisse petita. dices fortè euersam fuisse Salicam Iustinianæa sanctione. nam cum ipse se Francicum appellet in præf. instit. videtur vicisse Francos, atque ad eò ipsis iura dedisse. sed quibus annalibus ostendere est Francorum Regnum iampridem ante Iustinianum conditum subactum fuisse ab ipso? puto eiusmodi titulum profectum fuisse à liberali manu Triboniani.

## CAPUT VI.

*De consensu Ripuariorum, Saxonum,  
atq; aliorum.*

**I**N cumulum patiamur ire aliarum Nationum iura maribus præ foeminis fauentia. Ripuariorum tit. 58. *Sed dum virilis sexus extiterit, foemina in hereditatem auaticam non succedant.* Non æquis auribus hæc audio excipi à mulieribus. leg. Saxon. cap. 38. *Pater aut mater defuncti, filiis non filia hereditatem relinquunt.* non si leatur Sanctio Anglionum tit. 7. *Hereditatem defuncti filius non filia suscipiat, si filium non habuit, qui defunctus est, ad filiam pecunia & mancipia, terra verò ad proximum paterna generationis consanguineum pertineat.* ipsi Armenii sic sensere, vt est apud Iustinianum Novell. XII.

## CAPUT VII.

*De Longobardorum instituto,  
deq; Feudis.*

**R**idendos se propinant, qui originem Feudorum petunt à Iustiniano. at ipse exæquat foeminas maribus in successione, cum Feudorum institutum in alia omnia abeat, vt neminem latet, qui legit verba c. i. § filia de success. Feud. c. i. § hoc autem notandum. Ego nullus dubito Longobardicam



dicam gentem, quæ victricibus armis sub-  
 egit Insubriam inuexisse hunc morem in  
 Italiam, qui deinde tanquam lex relatus est  
 in librum. videat, cui lubet, dissertatio-  
 nem meam de origine Feudorum part. 2.  
 orat. editarum Pisis, aut inspiciat cap. 1. lib.  
 7. Controuers. Andr. Fachin. Ergo ab iis,  
 qui contendunt in successione nequaquã  
 æquiparandas esse puellas viris, stant Lon-  
 gobardi, qui ducentos regnarunt annos.  
 Etsi autem ipforum euerterit Carolus Ma-  
 gnus potentiam, non tamen eodem Mar-  
 te pessundedit instituta. Vbi verò Lon-  
 gobardica non splendent Feuda? ipsa Os-  
 manidarum gens magnæ orbis parti impe-  
 rans, quas deuicit Regiones militibus ma-  
 gna ex parte tribuit defendendas, institu-  
 tutis Feudis, quæ Timarri dicuntur. in qui-  
 bus quis ignorat negligi fœminas. nam ad  
 militiam si non faciunt, cur gauderent be-  
 neficiis, quæ militiæ causa tribuuntur?

## CAPUT IIX.

*De legibus Municipalibus Italicarum  
 urbium excludentibus fœminas.*

**P**ost conuulsam imperium Romanum,  
 cum iurisprudencia Romana anniten-  
 tibus Cæsaribus Germanis passim instau-  
 raretur, ne locum obtineret sanctio Iusti-  
 nianæa l. penult. de leg. hæc. dederunt ope-  
 ram pleræque omnes vrbes Italiæ, quæ fre-

ta sua libertate leges tulerunt, iusseruntque à successione repelli foemineum genus. eiusmodi leges hodie apud Pragmaticos, statuta appellantur, quæ pluribus in rebus, stant à maribus, premuntque muliebrem sexum. Cum verò iam in Italia peræque vrbes, quæ trecentis ab hinc annis populari gaudebant imperio, nunc pareant Principibus liberis, nulliusque nutui obnoxiiis, cur non ipsi prudentiam earum ciuitatum imitati sanciant legem; cui morem gerant omnes subiecti, excludantque à successione foeminas? cur patiuntur quandoque sententia iudicum eas exæquari maribus, cum Italia iam tot labentibus annis, ne æquiparentur, nixa sit?

## CAPUT IX.

*Plus esse largiri primogeniis priuilegia, quam foeminas excludere à successione.*

**Q**Vocumque oculos verto, per Europam tot mihi se ferunt obuia Primogeniorum priuilegia, vt cogar quærere, cur aliqui velint maribus exæquare sequius genus in successione, si tot florentissima regna tantam habent rationem familiaris dignitatis, vt paterna iura prope omnia, addicant maximo nati filio neglectis cæteris. Plus enim est tanto priuilegio primogenium succingere aduersus fratres, quam mu-

mulieres à successione reiicere, cum mares  
 familiam habere queant, qua destitui quis  
 nescit fœminas l. 195. 196. ff. de verb. signi-  
 fic. oppugnat igitur sententiam tot regno-  
 rum, in quibus prærogatiuæ numerantur  
 primogeniorum, qui satagit ad successio-  
 nem admittere non minus fœminas, quam  
 viris. Si quis porrò singillatim nosse cupiat,  
 quid ferant primogeniorum iura, & vbi vi-  
 geant, euoluat luculentos commentarios  
 Tiraquelli, & Molinæ, qui auido lectori  
 fecerunt satis.

## CAPUT X.

*Agnatorum successionem insuper ha-  
 bitis fœminis videri esse iuris  
 gentium.*

**O**Mnia dum prospicio, videoque tot na-  
 tiones conspirare amicè, vbi agitur de  
 fœminis excludendis à successione, aut  
 saltem non exæquandis, componendisq;  
 cum maribus, eò prope extendo cogitatio-  
 nem, vt dicam iuris gentium esse Agnato-  
 rum successionem insuper habitis fœmi-  
 nis. Quis enim neget Iure gentium com-  
 prehendi, quod tot nationes statuerunt,  
 fanciuerunt, obseruarunt? dices, iuris gen-  
 tium ea esse, quæ omni humano generi  
 communia sunt Instit. de iur. natural. §. ius  
 autem ciuile. sed constat Romanos cum  
 XII. tab. exæquasse mares & fœminas. quas

H s secu-

secutus est Iustinianus, respondere est, posse aliqua dici esse iuris gentium, etsi vna atque altera natio in alia abeat. ceteroqui quid quæso iuris gentium posset vocari, cum vix vllum ius tam stabile reperiri possit, à quo aliqui non discesserint? sed nec tota natio Romana opponi debet iuri agnatorum excludenti fœminas, nam septingentorum annorum spatio, quando maximè floruit Æneadum gens, viguerunt iura agnatorum, vt nemini non est notum nostra perlegenti. Romana ergo natio potius est accensenda iis, quæ excluderunt, quam paucis aliis, sequiorem sexum viris exæquare conantibus.

## CAPUT XI.

*Cur non putauerint Romani exæquandas esse maribus fœminas in successione?*

Summa ratione nitebatur lex Voconia excludens fœminas à successione, nam per masculos conseruatur nomen familiæ, per fœminas definit. Mulier enim familiæ suæ est caput, & finis, neque liberi in familia eius sunt, sed patris familiam sequuntur ff. de verb. signif. l. 195. & 196. Quod ergo confertur in fœminas, id detrahitur familiæ, quæ tenuiori re prædita non potest tueri suam dignitatem. interest autem Reipublicæ plurimas esse familias diui-

diuites, splendidasque. Quid enim Ciuitas est, nisi multitudo magna familiarum, quæ quò sunt opulentiores, eo magis validam efficiunt urbem, magisque conspiciuam. vbi velim obseruari familiam eam esse, quæ constat maris & fœminæ conjunctione, vt est videre apud Aristotelem lib. 1. polit. cap. 1. fœmina autem præcipuè ob procreationem prolis iungitur viro, vt idem etiam docet, vt ipsa potissimum propter virum, vir verò ob ciuitatem, vniuersitatemque sit. hinc intelligimus par esse maribus hæreditates deferri, vt domus, quarum capita sunt, dignitati velificentur. Cum verò Princeps curam gerat totius Reipublicæ, eiusque incolumitatem cordi habeat, danda illi opera est, vt vnaquæque vrbs, cui imperat, ingentem habeat numerum Ciuium nobilium, atque opulentorum, eoque rem deducat, ne excogitata subtilitate paulatim bona auulsa patribus familias transferantur ad sodalitates, quæ multæ iam in Europa instituuntur latifundiisque ingentibus instruuntur. Quis enim non videt prouentus adimi patribus familias, vt necesse sit ad exiguum pauperemque numerum familiarum redigi vrbes, & oppida, in quibus eiusmodi vigent cœtus. Si dicas talia collegia esse familias, facereque ad splendorem ciuitatum, respondebo non esse propriè familias,

lias,

lias, quas definiuit Aristoteles, quasque putauit esse fundamentum ciuiliſ ſocietatis, lib. i. cap. i. polit. domum enim exiſtimat conſtare ex gemina coniunctione maris nempe, & foeminae, & domini, & ſerui. Nec nego vniuerſitates, & collegia prodeſſe vrbibus, ſi eorum ſit modus, ſi non ſint multa, ſi non nimis opulenta. Rurſus clamabis, fauendum eſſe religioni, quod non inſitias eo. Si verò immodicè talia promoueas, videbis rem ciuium quamprimum fore tenuem, atque paupertinam. Quis porrò non fateatur miſeras eſſe vrbes, multiplici calamitati obnoxias, quæ opulentarum familiarum deſtituuntur numero, dum quotidie variae artes ipsis auellunt ædes, areas, fundos, vineas, & quicquid ciues ditare poteſt? Nec diffiteor de ſocietate foeminarum, quæ rebus ſacris vacant, mihi quoque ſermonem eſſe.

## CAPIT XII.

*Repugnare rationi ſanctionem Iuſtini-  
nianæam, non item Voconiam  
legem.*

SI comparentur inter ſe conſtitutio Iuſtini-  
nianæa exæquans maſculos, & foemi-  
nas, & lex Voconia has excludens à ſucceſ-  
ſione reuocenturque ad principia Iuriſpru-  
dentia Romanæ facilè deprehendemus ni-  
hili eſſe Tribonianæam nouitatem, præ ve-  
tuſta-

rustate Voconia. nam foeminae omnibus muneribus ciuilibus excluduntur, iudices esse nequeunt, nec Magistratum gerere, nec postulare, nec pro alio interuenire ff. de regul. iur. l. Foeminae. adoptare non possunt, non habent suos haeredes, nec filios in potestate vt est videre ff. de verb. signific. l. 196. Instit. de adopt. §. sed & illud, apud Gaium institutionum cap. 5. vt alia omit- tam. quas vniuersum ius Romanum infra marem ita collocat, euehetne Iustinianae- um iussum? Certè eodem Marte, quo ex- aequatae sunt mulieres viris in successioni- bus, erant etiam donandae potestate in fi- lios, muneribusque publicis. sed non au- sa est eò vsque progredi Triboniani auda- cia. hoc enim fuisset totam Iuris Philoso- phiam concutere, & sua sede mouere. Fru- strà autem est, dum quaerit Instit. de legit. agnat. success. §. cæterum: *Quare vno eo- demque gradu naturali concurrente & agna- tionis titulis tam in masculis, quam in foemi- nis aequa lance constitutis, masculi succe- dunt, foeminae non? nam posset quis itidem quaerere, cur lex Romana excludit omni- bus ciuilibus muneribus foeminas, cur eas vetat habere in potestate filios? Nempe cum foemina sit mare longè imbecillior, neque à natura ad talia facta esse depre- hendatur, meritò iubetur domi latere, li- berisque operam dare. Rursus non fert*

Iusti-

Iustinianus C. de legit. hær. l. penult. fœminas. *Propter hoc solum puniri, quod fœminæ natae sunt. respondere est eas non puniri, sed excipi, ut par est. Cum enim naturam marem præstantiorem fecerit, sequiorem fœminam, unicuique ea tribuenda sunt, quæ respondeant unius robori, alterius imbecillitati, qua in re tantum abest, ut naturam offendamus, ut potius eam præeuntem ad optima instituta sequamur. Quæ quæso natio exæquavit maribus fœminas, & non illas imperare, has parere iussit? Arist. lib. i. pol. c. i. ubi iacit fundamenta vitæ ciuilibus, docet marem fœminæ imperare, quamuis reprehendat Barbaros, qui imperant fœminis tanquam ancillis, ac si fœmina, & ancilla natura idem essent, si dicas Platonem putasse admouendas esse Reipublicæ fœminas, regeram Platonis Rempublicam commentitiam (ut vocatur à Cicerone) nusquam executam, quod à Magistro fuerat excogitatum.*

## CAPUT XIII.

*Frustra proferrri legem XII. tabul. aduersus totam scholam Iurisconsultorum.*

**E**Xiguis terminis continebatur iurisprudencia Romana, cum præter duodecim tabulas, vix quicquam haberent legum Romani, quod facile est colligere ex  
Pom.



Pomponii narratione toto titulo ff. de orig. iur. Quod mirum nemini videtur, nam non aded ingentes erant antiquis temporibus res populi Romani, vt non aded accuratè tunc omnia instituerentur. Vbi verò creuit ipsius potentia, creuit & Iurisprudentiæ apparatus, imò cognitio illa antiqua XII. tab. vix mereri videbatur nomen Iurisprudentiæ. Aucto imperio, præsertim sub Cæsaribus, extiterunt etiam non solum disertis, sed acuti & subtiles Iuris Interpretes, qui ad magnum fastigium, summamque amplitudinem perduxerunt legalem Philosophiam. quando enim flourerunt illi, quorum dicta quasi ex tripode delphica prolata extant in pandectis? Ante Iustinianum, imo ante Constantinum, ab Augusti, aut præcipuè Traiani tempore vsque ad Diocletianum, quod notum est iis, quos vitæ Cæsarum à Lampridio, Spartiano aliis conscriptæ non latent. hoc ideò præfatus sum, ne quisquam turbetur dum audit Iustinianum dicentem Instit. de legit. agnat. success. & l. penult. C. de hered. instit. XII. tabulas exæquasse masculis fœminas. id non nego. eas tamè exclusit à successione lex Voconia, quæ lata tempore Catonis; iurisprudentiaque tota, quæ vixit felicissimè sub Imperatoribus aliquot seculorum spatio depulit fœminas. quis verò ausit præferre tenuem, exiguamque

XII. tabularum notitiam, veræ perfectæque Iurisprudentiæ, quam nobis condiderunt Cæsares, vñ consilio doctissimorum omnique numero absolutorum virorum. Iactet igitur quantum vult Tribonianus XII. tabulas, vt exæquet maribus fœminas, dum pro nobis stat tota schola Iurisconsultorum.

## CAPUT XIV.

*Cur non videatur debere haberi ratio Iustinianæ nouitatis in exequandis fœminis?*

**N**ON debere haberi rationem Iustinianæ Constitutionis C. de leg. hæred. l. pen. euertentis veterem Iurisprudentiam ex eo etiam discere est, quia plus nimio fauit fœminis Imperator ille, & non parum incommodauit Romanis legibus, dum vt placeret vxori, condidit, quæ satius fuisset prorsus omitti. Videri autem Constitutionem, de qua agimus ab vxore profectam potius, quam ex tota animi Cæsarei sententia, non negauerit, qui ob oculos sibi ponit verba Zonaræ in Annalibus. inquit enim: *Iustiniano principatum adepto, non vnus, sed duorum potestas fuit, cum vxor eius non minus ipso plus posset. addit: Theodora maritum longo interuallo potentia superabat, & novos, eosque varios questus ingeniosissime reperiebat.* Quis hæc dum repetit, non

*In Iustiano.*

non cogitat Tribonianum in componendis sanctionibus, euertendaque veteri Iurisprudentia velificatum fuisse voluntati Augustæ: cur etiam credibile non sit Theodoram suam potentiam exercuisse in ferendis legibus, quæ sequiori fauerent sexui? Ut iam vix dubitem pronunciare idè exequatas fuisse in successione fœminas maribus, quia sic iussit, sic voluit auara, præpotensque fœmina. Hoc si diligenter expendant patres hac tempestate in Italia legum interpretes, non insuper habebunt statuta, vt complectantur sanctionem à fœminea profectam auctoritate. si dicas, ex quacunque auctoritate sit profecta, abiuisse tamen in ius, de quo non liceat disputare: respondebo, abiuisse quidem tunc in ius apud eos, quibus Cæsar Iustinianus imperabat, at secus sensisse nationes ea tempestate liberas, cæterasque subsecutas planè neglexisse eiusmodi legem, iubentem fœminas excludi in successione, haberique rationem agnatorum, vt nemo non videat magnam esse angustiam sanctionis Iustinianæ, si conferatur, cum legibus atque moribus plurimarum nationum.

CAPUT XV.

*Comparatur inter se nouitas, & vetustas legis XII. tabul. & Voconia.*

**R**ursus Tribonianus C. de legit. heredi l. penult. vt exæquentur masculis fœminæ;

minæ, *Legis antiquæ reuerentiam anteponi  
 debere nouæ.* antequam appellat eam, quæ  
 continebatur XII. tab. Nouam Voconiam.  
 sed non video cur lex celeberrima, quæ to-  
 tos septingentos annos florentissima sub  
 Republica atq; Imperio obseruata fuit per-  
 quam diligenter, nouitatis nota insignia-  
 tur, & ad odium trahatur? Altiores radi-  
 ces egerat, quam vt deberet remoueri, &  
 concuti à Triboniano. Si dicas, compara-  
 tione facta cum lege XII. tab. fuisse nouam,  
 non enim sub Cæsare licuisset appellare no-  
 uam, quæ non ita multis abhinc annis san-  
 cita fuisset? Respondere est, potuisse ita vo-  
 cari, paulò postquam rogata fuit. Non  
 item tempore Iustiniani. Nec semper an-  
 tiquitas opponenda est nouitati, quando-  
 que enim vetustas simplex est, rudis, ratio-  
 nisque parum habet. Tunc certe à sapien-  
 te nouitate dispungitur. Cessere itaque  
 hac in re XII. tabulæ Voconix rogationi,  
 cum res tantum non elata voce clamaret  
 consulendum esse dignitati familiarum,  
 quod etiam est in ff. de ventr. inspic. l. i. §.  
 sed & si seruus. regeres, diu obseruatam  
 XII. tabul. legem, vt immeritò fuerit sub-  
 lata, cum euentus ipse docuerit vtilem fuis-  
 se Romano nomini. Cur ergò non po-  
 tuit eius vsus reuocari à Iustiniano, anti-  
 quata Voconia. Ergo repono, rationem  
 Iurisconsulto dignam stare à Voconia. non  
 item

item à lege XII. tabul. Aio longè diutius  
 obseruatam fuisse Voconiam. nam à XII.  
 tab. latis ad tempora Voconia trecentos fe-  
 re annos numerare est. à Voconia autem  
 vsque ad Iustinianum septingentos reperi-  
 re est. XII. tab. latae sunt anno ab V.C. 03.  
 Voconia Anno 584. Philippo & Capione  
 Coss. Iustinianus autem imperauit anno  
 1278. & seqq. adde nunquam tantum fuis-  
 se familiarum Romanarum splendorem,  
 tamque durabilem seriem quam sub Vo-  
 conia. Certè nemo sanæ mentis contu-  
 lerit familias, quæ viguere sub XII. tab. cum  
 iis, quæ splendidissimos diffudere radios  
 sub Voconia, vt felix euentus ab huius stet  
 partibus. Quid verò memorem tempora  
 Romani Imperii, Romanarumque fami-  
 liarum post Iustinianæam nouitatem. ô la-  
 bem Latini nominis. imò ô Græculam  
 non Latinam tenuitatem. Consule lector  
 historicos, illorum temporum, & mihi pro-  
 fer, si potes, stemmata familiarum. Non  
 miraberis vix quicquam reperiri, cum im-  
 prudenter Imperator conseruandarum fa-  
 miliarum euerterit fundamentum, Voco-  
 niam nempe. Eant nunc illi, qui sibi deli-  
 tias faciunt cum Iustiniana sanctione, &  
 incremento familiarum sic velificentur sci-  
 licet. imò lubenter, ambabusque mani-  
 bus complectantur statuta, quæ Tribonia-  
 num contemnentia reuocant in auras Vo-  
 coniam

DE FOEMINIS EXCLUSIS  
 coniam, hac ratione dignitati familiarum  
 laturo suppetias.

CAPUT XVI.

*Non esse iniquam vocandam legem ex-  
 cludentem foeminas.*

**A** Vdet Voconiam non piam Iustinianus  
 appellare C. de leg. hæred. l. penult. non  
 deest, qui ait se ignorare quid iniquius ipsa  
 fieri possit. Ego verò miror iniquitatem  
 impingi rogationi, quam oratione habita  
 promouit Cato, teste Gellio. Non intelli-  
 go etiam, quò factum fuerit, vt Augustus,  
 Vespasianus, Traianus, Marcus pius non  
 sustulerint & antiquauerint ius iniquum  
 atque iniustum. Sed missis factis Catone  
 & Cæsaribus, qui Christiani non fuerunt,  
 cur viguit Voconia sub Constantino, cæte-  
 risque Imperatoribus Christianis vsque ad  
 Iustinianum? Illicò profectò moniti ab E-  
 piscopis abrogassent eiusmodi iniquita-  
 tem. Videant verò qui inuehantur in le-  
 gem foeminas repellentem à successione,  
 qua ratione defendi queant optimi Chri-  
 stianaque pietate florentissimi Cæsares, qui  
 sua auctoritate eam tutati sunt. Nolim au-  
 tem dissimulare virum magnæ auctorida-  
 tis, qui vt iniquam damnauit Voconiam,  
 putasse secundum ipsam patri non licuisse  
 facere hæredem vnicam filiam, cum Iusti-  
 manus testetur C. de legit. hæred. l. penult.

*Ab intestato successionebus suas quidem filias ad similitudinem masculæ sobolis in parentis vocari successione. iuxta scilicet legem antiquam. de ipsa enim loquitur. Nequaquam igitur existimandum est secundum Voconiam filiam vnicam non potuisse esse heredem patris.*

CAPUT XVII.

*Par non esse, ut confugiatur ad ius Cæsareum ex æquans fœminas, neglectis duobus statutis eas excludentibus.*

**S**I proferantur duæ leges municipales, siue statuta (vt cum Pragmaticis loquar) excludentes fœminas à successione, non desunt, qui dicant, neutrum obseruari debere, sed confugere nos oportere ad ius commune Iustinianæum, vt fœminæ exæquentur maribus. id vt pronuntient, facit illa ratio, quia statutum extra territorium vires non extendit. Cum itaque illi, qui de successione altercantur non sint vnius municipii, aut bona quorum causa lis est instituta, non vna sint in ditione, hinc adeò fit, vt putent iuri Cæsareo Iustinianæo esse standum. Quod miror asseri potuisse à viris adeò legum consultis in ea facti specie, quæ innitur duobus statutis concinentibus pariterque fœminas à successione excludentibus. Nam si vnum excluderet fœminas, includeret alterum; possent tunc

magna cum verisimilitudine affirmare  
 neutri locum esse debere, cum pares ha-  
 beant vires, quæ in se inuicem nequaquam  
 exerceri queunt, vt deficiente iure municipi-  
 pali, confugiatur ad ius Cæsareum. Vbi  
 verò concinunt statuta, foeminasque à suc-  
 cessione depellunt, cur quæso contra insti-  
 tutum, contraque mentem eorum, qui le-  
 ges municipales condiderunt, vtrumque  
 deseritur, vt aliud, aduersus quod niteban-  
 tur cum conderent statuta attrahatur vo-  
 lens nolens? Nonne par est eos, qui nati  
 sunt in duobus municipiis, parere legibus  
 municipalibus? Nemo id negauerit. si ita-  
 que pronuncietur secundum eas non po-  
 tuerunt conqueri. At meritò conqueren-  
 tur, si iudex iuberet aliquem ex ipsis con-  
 tempto eius municipii, in quo natus est sta-  
 tuto, parere alterius municipii, cui ipse non  
 subesset, legi. quæ omnia nullus dubito,  
 quin confirmari queant egregiorum Iuris-  
 consultorum testimoniis. Ego verò eius-  
 modi à labore abstineo, cum eo sit per-  
 quam feliciter, & prudenter functus.

Philippus Fachineus huius Gy-  
 mnasii ornamentum, &  
 decus.

INDEX





INDEX PRIMVS,

Capitum, quæ in Parte primâ  
continentur,

Primus numerus denotat Caput,  
secundus paginam.

<b>E</b> orum, quæ leguntur in Pandectis, & Codice vsur- viguisse tempore Iustiniani. Cap. 1. pag. 1.	
Quod superuacaneas leges collegerit Tribonianus.	2.2
Cur non intercessum fuerit ab Episcopis, cum Codex com- poneretur?	3.3
Imperatores Christianos multa sanciuisse de Religione, deq; Religionis antistitibus.	4.4
De Imperatoribus Christianis sibi tribuentibus nomen di- uinitatis & perennitatis.	5.6
De More iurandi per Genium Principis	6.7
De præfecto Vrbi Constantinopoli.	7.8
Patriarchæ Constantinopolitano quam auctoritatem contulerit mos Iustinianei seculi?	8.9
Num Episcopi tempore Iustiniani haberent iurisdictio- nem?	9.12
Quatenus mos Iustinianei seculi exequaret Episcopos Præfectus Prætorio?	10.13
De more confugiendi ad Ecclesiam.	11.15
Num Lex Papia à Constantino omninò sublata fuerit?	12.16.
An tempore Iustiniani, qui capiebantur in bello serui fie- rent?	13.17
Tempore Iustiniani non potuisse iniri nuptias à filio absq; consensu patris.	14.18

## I N D E X.

- Christianos spreuisse operosum apparatus ritus nuptialis Romanorum.* 15.19.
- An tempore Iustiniani intelligerentur peragi nuptiae sponsa ingrediente ades mariti?* 16.21.
- De Anastasii Constitutione, quae permittebat fieri diuortia mutuo consensu.* 17.22.
- Missae repudio potuisse iniri alias nuptias.* 18.23.
- De matrimoniis inter filios & filias fratrum.* 19.25.
- De muliere vidua nubenti alteri antequam eluxisset mortuum maritum.* 20.26.
- Concubinatum tempore Iustiniani ex legibus nomen habuisse.* 21.27.
- De contubernio inter seruos & ancillas.* 22.28.
- An temporibus Iustiniani exigerentur decimae à Laicis in usum Sacerdotum?* 23.30.
- De vouentibus decimam partem, expenduntur verba Vlpiani.* 24.32.
- Dicta Iurisconsultorum de sumptibus funerum ad Christiana tempora fuisse translata.* 25.33.
- An tempore Iustiniani priuatim à Christianis in agris sepelirentur mortui.* 26.34.
- Tempore Iustiniani fas non fuisse sepelire mortuos in Ecclesiis.* 27.35.
- Tempore Iustiniani non licuisse sepelire mortuos in vrribus.* 28.36.
- Olim necesse non fuisse sepeliri in coemiteriis.* 29.38.
- Qua ratione lex de mortuis non sepeliendis intra vrbes, euersa fuerit?* 30.39.
- An sepelirentur tempore Iustiniani qui se interemissent?* 31.41.
- Quando ceptum aliquid solui Templo tumuli causa?* 32.42. Moris.

## INDEX

<i>Moris fuisse tempore Iustiniani exigere vsuras.</i>	33.42
<i>Dicta S. Literarum, quæ de vsuris agunt, non ita accurate lecta fuisse tempore Iustiniani.</i>	34.45
<i>Non licuisse quomodocunque testari ad pias causas tempore Iustiniani.</i>	35.46
<i>De testium numero qui requiritur in Testamentis.</i>	36.47
<i>Constantinum non videri sustulisse pugnas arenarias aduersus bestias.</i>	37.49
<i>Bis videri peccasse Tribonianum, dum supplicium crucis ex verbis Callistrati expunxit.</i>	38.51
<i>Quibus pœnis puniuerit hæreticos seculum Iustinianæum?</i>	39.52
<i>Quid de monstris fieret tempore Iustiniani?</i>	40.54
<i>De Iudæorum collegiis licitis. An fuerint ex Gallia, &amp; Hispania expellendi?</i>	41.55
<i>Reiicitur quorundam sententia, qui putant collegia Iudæorum fuisse illicita.</i>	42.56

## INDEX II. PARTIS I.

### Legum explicatarum.

#### Ex Digestis.

<i>l. si duo patroni. ff. de iureiurando.</i>	6.7
<i>l. 1. §. 4. ff. de offic. Præf. Urb.</i>	7.8
<i>l. 2. 38. &amp; 15. ff. de R. N.</i>	14.18
<i>l. 2. §. vlt. ff. de pollicitat.</i>	24.32
<i>l. 1. ff. de Cadau. punit.</i>	29.38
<i>l. aut damnum. §. 11 12. ff. de pœn.</i>	37.50
<i>l. capitalium. ff. de pœnis.</i>	38.51
<i>l. liberi non sunt. ff. de stat. hom.</i>	40.54

I s

Ex

# I N D E X.

## Ex Codice.

l.1. §.10. C. de vet. iur. Enucl.	1.1
l.vn. Cod. de glad. pen. toll.	2,2. 37,49
l.3. §.1. C. de summa Trinit.	2.3
l.2. C. Theod. de Glad. toll.	ibid.
l.3. C. de Episc. Audient.	5.6
l. cunctos populos. §. hanc tegem. C. de summ. Trinit. l.3. §.2. & 4. eod.	ibid.
l.2. C. de reb. Cred.	
l.6. C. de Sacros. Eccles.	8.10
l.6. C. de Summ. Trin.	ibid.
l.7. C. de summ. Trin.	8.11
l.8. C. de aud. Episc.	9,12.10,13
l.vn. C. de caduc. tollend.	12,16
l.1. C. de infirm. poen.	ibid.
l.9. C. de repud.	17,22
l.8. §.4. & l.9. C. de repud.	18.24
l. manente. C. Theod. de incest. nupt.	19.25
l. celebrandis. C. de nupt.	ibid.
l.1. & 2. C. de secund nupt.	20.26
l.8. § 4. C. de Repud.	20.27
l.vn. C. de concubinis.	21.27
l.2. C. de Sacros. Eccles.	27.35
l.12. C. de relig. & sumpt.	28,36.30,39.32,42
l. habeat vnusquisq. C. de Sacros. Eccles.	35.46
l.5. l.11. l.12. C. de heret. & Manich.	39.53
l.3. C. de posth. her. inst.	40,54
l.1. C. de iudais & Cœlicot.	41,55
l. quod Cornelia. C. de Iudais.	42,56,57

Ex

# INDEX.

## Ex Instit.

§. serui autem. l. de Iur. person.	13.17
§. 9. l. de R. D.	26.34

## Authent.

§. Quia vero ex consensu. Auth. vt liceat mar. & auia. 17. 23.	
Canon. 17. Concil. Nicen. prim.	33.43
Suetonii locus in Claudio.	42.56
Ez. 18. Ps. 14. Luc. 6. Deut. 23.	34.45

## INDEX III. PART. I.

### Rerum & Verborum.

A Ntiquatae leges non sunt collecta à Triboniano.	2.2
A renaria pugna an sublata à Constantino?	2, 3, 37, 49
A syla.	11.15
A udiencia Episcopalis quid.	9.12
A ut exeges an sepeliri soliti?	31.41
B ello capti an fierent serui tempore Iustiniani.	13.17
C hristianis qui ritus nuptiales.	15.19
qui sepulchrales.	16.34. seq.
C hristiani Imperatores circa religionem sanciant.	4.4
titulos diuinitatis vsurpant.	5.6
C æmeteria veterum Christianorum quibus inseruient.	
30, 39, 40, 29, 38.	
C oncubinatus ex Iure Iustiniano.	21.27
C onsobrinorum coniugia an ab Impp. damnata.	19.25
C ontubernium inter seruos & ancillas.	22.28
C ornelia Salvia qua.	41.55
C rucis supplicium expunctum à Triboniano.	38.51
	Cuius-

## INDEX.

<i>Cuiacii sententia de Episcopis.</i>	9.12
<i>Decimarum origo apud Christianos.</i>	23,30.24,32
<i>Diuinitatis titulus ab Imp. vsurpatus.</i>	5.6
<i>Diuortium quid. 18.23. cum consensu.</i>	17.22
<i>Ecclesie priuilegio asyli ornata. 11.15. quando inceperint ibi mortui sepeliri. 27,35.30,39.40. quando coeperit il- lis aliquid solui sepultura nomine.</i>	32.42
<i>Episcopi quatenus exequati Praefecto Praetorio. 10.13. non intercesserunt, cum componeretur Codex.</i>	3,3.4
<i>quam potestatem sub Iustiniano habuerint.</i>	9.12
<i>Excommunicatus si sepeliatur exhumandus.</i>	29.38
<i>Excommunicatio an Iurisdictionem inferat.</i>	9.12
<i>Famosi latrones quo supplicio affecti.</i>	38.52
<i>Funerum sumptus.</i>	25.33
<i>Genius Principis.</i>	6.7
<i>Gentilium quinam scripserint contra religionem Chri- stianam.</i>	2.3
<i>Heretici quibus poenis excepti.</i>	39.52
<i>Herculi oblata decima pars.</i>	24.32
<i>Imperatoris maiestas.</i>	6.7
<i>Interemptores sui.</i>	31,41
<i>Iudeorum collegia an illicita.</i>	41,55.42,56
<i>Iuramentum per Genium principis.</i>	6.7
<i>Ludus venatorius sub Constantino.</i>	37.49
<i>Manfredus Rex non sepultus.</i>	29.39
<i>Manichaei pessimi.</i>	39.53
<i>Monstra an educata tempore Iustiniani. 40.54. nec sunt filii.</i>	ibid.
<i>Nuptialis ritus apparatus Gentilis &amp; Christianus. 15,19. 20.16,21.</i>	
<i>Nuptia inita sine consensu patris.</i>	14,18.19 Oecume-

## I N D E X.

Œcumenicus Patriarcha à quo dictus Constantinopolitanus.	8.10
Papia lex an sublata à Constantino.	12.16
Patriarcha Constantinopolitanus Prælatus Antiocheno & Alexandrino.	8,9.10.11
Piæ causæ quæ priuilegia.	35.46
Prefectorum Prætorio quanta auctoritas.	10.14
Prefecti vrbi Constantinopoli iurisdictio.	7.8
Religionis res ab Imperatoribus sancitæ.	4,4.5
Repudium quid?	18.23
Romani Papæ authoritas.	8.11
Sepulchra in agris Christian. 26.34. Ecclesiis exclusæ. 27. 35. & Urbibus omnino. 28.36. admissa demum. 30.39 eis qui se interemissent an negata. 31. 41 in Templis pretio parata.	32.42
Sponsæ ingressus in ædes mariti.	16.21
Sumptus in funere Gentilium.	25.33
Testamentum de piis causis olim illicitum.	35.46
Testium in testamento numerus.	36.48
Torneamenta damnata.	37.50
Triboniani duplex error. 38.51. leges superfluas non collegit.	2.2
Vidua quæ nubit ante annum.	20.26
Vouere quid.	24.32
Vsuræ quatenus vsitate Iustiniano seculo. 33,42. 43. quatenus à Concilio Nicæno damnatæ. 33,43,44. quomodo in S. Scriptura prohibita.	34.45

I N D E X



## INDEX PRIMVS,

Capitulum, quæ in secunda Parte  
continentur.

- A**N sub Iustiniano non fuerit certa de diuinis sententi-  
cia. Cap. i. pag. 59
- Moris non fuisse, vt Pontifices Romani interessent Conci-  
liis generalibus in Græcia. 2. 60
- De more proponendi Euangelia coram Synodo. de aureo  
Codice Euangeliorum. Quid nomine Euangeliorum  
intelligendum. 3. 61
- De S. Eucharistia dari solita pueris. 4. 63
- De more inserendi nomina Dyptichis. 5. 64
- Usu seculi Iustinianei quibusdam anathema dictum et-  
iam post mortem. 6. 65
- De festo exceptionis Domini instituto sub Iustiniano. 7. 66
- De Iustiniana patria Iustiniani euecta ad Archiepiscopa-  
lem dignitatem. 8. 67
- An diuisum esset Imperium inter Iustinianum & Theo-  
doram? 9. 69
- More Iustinianei seculi consueuisse adorari Imperato-  
rem. Cur iam & qua ratione Pontifex summus ado-  
retur? 10. 70
- An Augusta exequaretur Principi sub Iustiniano? 11. 72
- Quæ de Senatoribus reperiuntur in pandectis, transfe-  
renda etiam ad Senatores Constantinopolitanos. 12. 73
- Tempore Iustiniani quæ maior esset auctoritas Senatus  
Romani an Constantinopolitani? 13. 74
- An agendum fuerit à Triboniano de Senatusconsultis?  
Cur sub Constantino cæterisque subsequens nullum me-  
more-



## I N D E X.

<i>moretur Senatusconsultum?</i>	14.75
<i>An tempore Iustiniani essent duo Consules?</i>	15.76
<i>De Officio Consulis tempore Iustiniani. An Proconsul praeferretur Consuli?</i>	16.77
<i>De praefecto Vigilum apud Constantinopolitanos.</i>	17.78
<i>Comparatur Praefectus Praetorio, qualis erat tempore Iustiniani cum eo, qui viguit ante Constantinum.</i>	18.80
<i>Adhuc comparatur Praefectus Praetorio antiquus cum Constantinianis.</i>	19.82
<i>De sanctione Alexandri Imperatoris relata ad Praefectos Praetorio Constantinianos.</i>	20.83
<i>Quot essent Praefecti Praetorio tempore Iustiniani.</i>	21.84
<i>De Eunuchis ad dignitates promotis seculo Iustiniano.</i>	22.85
<i>More triumphandi non destituta fuisse tempora Iustiniana.</i>	23.86
<i>An more seculi Iustinianaei renunciarentur Doctores?</i>	24.87
<i>An singulare decretum tribueret immunitatem professoribus?</i>	25.88
<i>An Christiani tempore Iustiniani docerent Philosophiam in scholis?</i>	26.89
<i>Perpenduntur nonnulla quae videntur refellere precedentem sententiam.</i>	27.90
<i>Quando coeperint Iurisconsulti discipulis interpretari leges? quando tributum eis stipendium publicumque auditorium?</i>	28.92
<i>Usum seculi Iustinianaei reiecisse commentarios in leges, querela de immensis voluminibus nostrae aetatis.</i>	29.94
<i>An olim &amp; quidem tempore Iustiniano Medici in scholis traderent praecepta suae artis.</i>	30.96
	An

## I N D E X.

<i>An &amp; Græce possent sententiam dicere Prætores?</i>	31.98
<i>De usu Iustinianæo præferente mulierem in dote omnibus creditoribus anterioribus.</i>	32.99
<i>Seculum Iustinianæum non fuisse constans in puniendis adulteris. Cur minuta pœna in mulieribus.</i>	33.100
<i>Vsum seculi Iustinianæi non consuluisse maribus in successione. Dimittitur lector ad exercitationem de eare in fine libri.</i>	34.102
<i>An Circenses ludi inter mœurs seculi Iustinianæi sint recensendi?</i>	35.104
<i>An ludi Circenses cum Idololatria essent coniuncti?</i>	36.105
<i>An Iustinianus in crucem egerit Iudæum parricidam?</i>	37.106.
<i>Morem parandi velleræ serica in Imperio Romano acceptum ferendum temporibus Iustinianæis.</i>	38.107

## I N D E X II. PART. II.

### Locorum illustratorum.

#### Ex Digestis.

<i>l. fœmina. ff. de R. I.</i>	9.69
<i>l. vn. ff. de offic. consul.</i>	16.77
<i>l. 4. ff. de re milit.</i>	22.85
<i>l. 2. §. 47. ff. de O. I.</i>	28.93
<i>l. 48. ff. de re iudic.</i>	31.98

#### Ex Codice.

<i>l. 1. C. de prox. sacr. scriin. l. 1. C. de offic. Vic. l. 1. C. vt omnes iudic.</i>	18.80
<i>l. 2. l. 3. l. 4. C. de offic. Præf. Prætor. orient.</i>	18.81
<i>l. 2. l. 5. l. 7. C. de profess. &amp; Medic.</i>	24.88.89
<i>l. 8. l. vlt. C. de professor.</i>	26.89
<i>l. 11. C. de profess.</i>	27.91
	l. vn.

## INDEX

l.vn. C. de liber. stud. vrb.	28, 93. 94. 29, 94. 30, 96
l.6. C. de profess.	28, 93. 30, 97
l.2. §. hoc autem. C. de Vet. Iur. Enucl.	29. 94
l.12. C. de sent. & interlocut.	31. 98
l. assiduis C. qui potiores in pignor.	32. 100
l.30. C. ad L. Iul. de adult.	33. 101
l. penult. C. de legit. hered. instit.	33, 101. 34, 102
l.8. §.3. C. de repud.	35. 104

### Ex Instit.

§. bona fidei. I. de action.	32. 100
§. item lex Iulia, I. de public. Iudic.	33. 102
Procopii ἀνέκδοτα notata.	1, 59

## INDEX III. PART. II.

### Rerum & Verborum.

<b>A</b> Crido patria Iustiniiani.	8. 67
Adoratio Imperatoris. 10. 70	Pontificis. 10. 71
Adulterii poena sub Iustiniiano.	33, 100. 101
Alexandri Imperatoris constitutio circa Praefect. Praetor.	
20. 83.	
Amantius Eunuchus.	22. 86
Anathema dictum etiam mortuis	6. 65
Archiepiscopalis Ecclesia.	8. 68
Augustae honores.	11. 72
Bartolus.	29. 95
Belisarii triumphus.	23. 87
Boetius.	27. 92
Bombyces.	38. 107
Circenses ludi an sub Iustiniiano. 35. 104. an Idololatrici.	
36. 105.	

K

Consilia

## I N D E X.

- Concilia generalia inserta Diptychis. s. 65. cur iis noluerit interesse Pontifex Roman.* 2, 60 61
- Constantinopolis. 12. 73. Praefectus ibi vigilum. 17. 78. Senatus.* 12, 73. 13, 74
- Consules an duo sub Iustiniano. 15. 76. quod eorum officium.* 16. 77
- Crucis supplicium an sub Iustiniano.* 73. 106
- Cypri Episcopos non paruisse olim Patriarchis.* 8. 68
- Diptycha quid, & quod iis insererentur Catholici soli. s. 64*
- Doctores an fierent sub Iustiniano.* 24. 87
- Euangeliorum Codex quid.* 3. 61
- S. Eucharistia pueris dari solita.* 4. 63
- Eunuchi quando ad dignitates euecti.* 22. 85
- Festum exceptionis Christi sub Iustiniano institutum.*  
7, 66. 67.
- Gentiles primum proscripti sub Iustiniano.* 1. 59
- Gloria cupiditatem ex animis euellere exitiale virtuti & superbum nimis est.* 23, 86. 87
- Grace an ferri possit sententia à Praetore.* 31, 98. 99
- Imperatores non omnes Catholici. s. 65. adorari soliti.*  
10. 70.
- Iohannes Grammaticus Philoponus commentator Aristotelis.* 27, 91. 92
- Iudaeus puer ob Eucharistiam illesus.* 4, 63. 64
- an Iudaeus parricida à Iustiniano in crucem sublatus.*  
37. 106.
- Iurisconsultorum stipendium, & quando ceperint interpretari leges. 28. 92. eorum commentarii ignorati sub Iustiniano.* 29. 94
- Iustiniana patria Iustiniani, Archiepiscopalis facta, 8. 67*
- Iustinianus an cum Theodora diuisum Imperium habuerit. 9. 69.* Iustinus

## INDEX.

<i>Iustinus Philosophus.</i>	27.91
<i>Libanius Sophista.</i>	26.90
<i>Librorum nostro seculo nimia copia.</i>	29.95
<i>Medici an docuerint in scholis sub Iustiniano.</i>	30.96.97
<i>Mortui etiam anathemate percussi.</i>	6.65
<i>Mulier prelata creditoribus anterioribus. 32.99. ex aequa- ta masculis in successione à Iustiniano. 34.102. in adul- terio mitius punitur.</i>	33.101
<i>Narses Eunuchus.</i>	22.86
<i>Paratitla.</i>	29.94.95
<i>Philosophia an doceretur in scholis sub Imp. Iustiniano.</i>	
26,89.90. 27,91.92.	
<i>Pontificis Romani adoratio. 10.71. cur non solitus interesse Concilio generali.</i>	2,60.61
<i>Praefecti Praetorio quot sub Iustiniano. 21.84. ante &amp; post Constantinum collati inuicem. 18,80.81.19,82.20,83</i>	
<i>Praefectus Vigilum Constantinop.</i>	17,78.79
<i>Praetores an dicerent sententiam Graece.</i>	31,98.99
<i>Proconsul an preferendus consuli.</i>	16.77
<i>Professorum immunitas à quibus tribueretur.</i>	25.88
<i>Pueri ἀφ' ἰσοποι.</i>	4.63
<i>Purificationis festum quando institutum.</i>	7.67
<i>Religionis sub Iustiniano certitudo.</i>	1.59
<i>Senatores Constantinopolitani. 12.73. hi, an Romani, ma- iores.</i>	13.74
<i>Senatusconsulta quando desierint.</i>	14.75
<i>Serica vellera sub Iustiniano inuenta.</i>	38.107
<i>Tauresia regio.</i>	8.67
<i>Theodora an cum marito diuisum habuerit imperium. 9 69. an ei exaequata. 11.72. maritus ei studet. 32.99</i>	
<i>Tribonianus blanditur.</i>	33.102
K 2	Trium-

## INDEX.

<i>Triumphandi mos sub Iustiniانو.</i>	23.86
<i>Υπαπαντη.</i>	7.67
<i>Vellera serica sub Iustiniانو.</i>	38.107



## INDEX I. IN EXERCIT. ADIECT.

### Capitum.

<b>D</b> <i>Deum apud Mosen aut exclusisse foeminas à successione, aut eas non equiparasse maribus. Cap. I. pag. III.</i>	
<i>Legem Mosaicam de successione semper obseruatam à Iudeis.</i>	2.112
<i>Agitur de lege Voconia apud Romanos spernente foeminas in successione.</i>	3.113
<i>Existimasse Origenem, Legem repellentem foeminas à successione nunquam antiquandam.</i>	4.115
<i>De Salica submouente foeminas.</i>	5.117
<i>De consensu Ripuariorum, Saxonum atq; aliorum.</i>	6.118
<i>De Longobardorum instituto deq; feudis.</i>	7.118
<i>De Legibus municipalibus Italicarum urbium excludentibus foeminas.</i>	8.119
<i>Plus esse largiri primogeniis priuilegia, quam foeminas excludere à successione.</i>	9.120
<i>Agnatorum successionem insuper habitis foeminis videri esse iuris gentium.</i>	10.121
<i>Cur non putauerint Romani exequandas esse maribus foeminas in successioneibus?</i>	11.122
<i>Repugnare rationi sanctionem Iustinianeam, non item Voconiam legem.</i>	12.124
<i>Frustra proferri legem XII. Tabb. aduersus totam schoolam Ictorum.</i>	13.126

*Cur*

## I N D E X.

- Cur non videatur debere haberi ratio Iustinianæ noui-  
tatis in exequandis fœminis?* 14.128
- Comparatur inter se nouitas & vetustas legis XII. tabb.  
& Voconia.* 15.129
- Non esse iniquam vocandam legem excludentem fœmi-  
nas* 16.132
- Par non esse, confugiatur ad ius Casareum exequans fœ-  
minas neglectis duobus statutis excludentibus.* 17.133

## I N D E X II.

### Legum explicatarum.

- l. 195. 196. ff. de V. S.* 9, 121. 11, 122. 12, 125
- l. penult. C. de legit. hered. 2, 113. 3, 114. 8, 119. 12, 126. 13, 127.  
14, 128. 15, 132. 133.*

### Ex Instit.

- §. ceterum. Inst. de legit. agnat. success.* 3, 114. 12, 125
- §. ius autem ciuile. I. de l. natur.* 10. 121
- Num. 3. 15. & cap. 27. 8.* 1. 111

## I N D E X III.

### Rerum & verborum.

- A**gnatorum successio. 10. 121
- A** Deus exclusionis fœminarum author. 1. 111
- D**uodecim tabularum ius. 13, 126. 127
- F**euda. 7. 118
- F**rancici titulus apud Iustinian. à liberali manu Triboni-  
niani. 5. 117
- I**talia vrbes contra fœminarum successionem. 8. 119. libe-  
ra sunt. 8. 120
- I**udæi legis fœminas excludentis retinentes. 2, 112. 113
- I**ustiniani vxor videtur causa Constitutionis pro fœmina-  
rum successione. 14. 128  
Longo-

## I N D E X.

<i>Longobardi.</i>	7.118
<i>Origenes legis foeminas excludentis retinens.</i>	4.115
<i>Primogenitorum in Europa priuilegia.</i>	9.120
<i>Ripuarii.</i>	6.118
<i>Salica Lex.</i>	5.117
<i>Saxones.</i>	6.118
<i>Timarri, Turcica feuda.</i>	6.119
<i>Tribonianus Theodora voluntati velificatur.</i>	14.129
<i>Voconia Lex. 3.114. rationes, quibus fulcitur. 11.122. sana rationi conformis est. 12.124. comparatur cum XII. Tabulis.</i>	15.130.131.

## F I N I S.





118  
115  
20  
18  
17  
18  
19  
29  
na  
l.  
l.









Ha 2424.


8

X 2608595

VD 17

911

h.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

B.I.G.

Farbkarte #13



PAGANINI GAUDENTII  
Theol. & I. C.  
LIBER  
*De*  
IVSTINIANA EI  
SECVLI MORI  
BVS NONNVLLIS.

Cum eiusdem Dissertatione  
*de*  
SVCCESIONE FOEMI  
NARVM.

*Iuxta Editionem Florentinam.*



ARGENTORATI,  
Typis & Sumptibus FRIDERICI SPOOR.  
M DC LIV.

